AN. LXXXIII SERIES VII FASC. II. AN. 1958

MONITOR ECCLESIASTICUS

Fundatus a. 1876 ab E.mo Card. Casimiro GENNARI
peculiari S. Sedis adprobatione continuatur

MODERANTIBUS

ARCADIO LARRAONA
Secretario S. C. De Religiosis

FLORENTIO ROMITA
A Studiis S. C. Concili

ADIUVANTIBUS

ANTONELLI F., O. F. M., Relator. Gener. Sect. Hist. S. C. Rituum — BARTOCCETTI V., Subsecr. S. C. De Disciplina Sacramentorum — BENDER L., O. P., in Pont. Athenaeo *Angelicum* Professore Juris Canonici — BIDAGOR R., S. J., Cons. S. C. De Disciplina Sacramentorum — CAPPELLO F. M., S. J., Cons. S. C. Concilii — CASTELLANO M., Arp.o Colossen. — DE ANGELIS S., Substit. S. Paenitentiariae Apostolicae — GUTIERREZ A., A Studiis S. C. De Religiosis — HERMAN Ae. S. J., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — LENTI PROF. J., Adv. S. Romanae Rotae — OESTERLE G., O. S. B., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — PAVENTI X., A Studiis S. C. De Propaganda Fide — ROMANI S , Promotor. Fidei S. C. Rituum — ROMEO A., A Studiis S. C. De Semin. et Univers. Stud. — ZERBA C., Subsecr. S. C. De Disciplina Sacramentorum

Aliisque S. Romanae Curiae Officialibus, Consultoribus et Advocatis.

DESCLÉE & C[i] — EDITORES PONTIFICII

ROMAE (117) PIAZZA GRAZIOLI N. 4 — TEL. 64.395 — C. C. P. 1-4270

OFFICIUM REDACTIONIS ET ADMINISTRATIONIS - PIAZZA GRAZIOLI N. 4. TEL. 63.931

Periodico Trimestrale - *Sped. in Abb. Post.* - Gruppo IV

IMPRIMATUR

Sorae, 15 - VI - 1958.

† Blasius Musto
Episcopus Aquini, Sorae et Pontiscurvi

OMNIA IURA PROPRIETATIS VINDICABUNTUR

TIPOGRAFIA EDITRICE M. PISANI - ISOLA DEL LIRI

SUMMARIUM

ADNOTATIONES IN ACTA S. SEDIS

S. Congregatio Consistorialis

HOLLANDIAE: Decretum. De erectione Vicariatus Castrensis (Adn. *A. Pugliese*) . . . . . Pag. 191
REIPUBLICAE ARGENTINAE: Decretum. De erectione Vicariatus Castrensis (Adn. *A. Pugliese*) . . . . . » 199
BELGII: Decretum. De erectione Vicariatus Castrensis (Adn. *A. Pugliese*). . . . . » 211
CIVITATUM FOEDERATARUM AMERICAE SEPTENTRIONALIS Decretum. De erectione Vicariatus Castrensis (Adn. *A. Pugliese*) . » 221

S. Congregatio de Religiosis.

Instructio. De iuvenum utriusque sexus promiscua institutione (Adn. D. - *M. Huot*). . . . . » 236

S. Congregatio de Seminariis et Studiorum Universitatibus

Epistula. Ad Excellentissimos locorum Ordinarios de latina lingua rite excolenda (Adn. *I. Parisella*). . . . . » 248

IURISPRUDENTIA S. ROMANÆ ROTÆ ALIORUMQUE TRIBUNALIUM ECCLESIASTICORUM

S. Romana Rota.

Coram R. P. D. PETRO MATTIOLI, Ponente. (*Nullitatis Sententiae ac Jurium*). Decisio diei 28 iul. 1954 . . . . . » 265
Coram E. P. D. ANDREA JULLIEN, Decano et Ponente (*De conditione consensui matrimoniali apposita*). Sententia definitiva diei 30 ian 1957. » 281
Coram R. P. D. DINO STAFFA, Ponente. Nullitatis matrimonii (*Ex capite metus ex minis suicidii*) Sententia diei 3 apr. 1957 . . » 290

Vicariatus Urbis Tribunal Appellationis

Nullitatis matrimonii (*Ex capite impotentiae viri*) (F. ROMITA, Ponente). Sententia diei 16 apr. 1958 . . . . . » 293

STUDIA ET CONSULTATIONES

DEL CORPO, AE. Actus hominis et actus humanus in consummatione matrimonii . . . . . Pag. 303

BANK, J. *Normae a Justiniano Card. Serédi conscriptae de Fontibus C. J. C. edendis* . . . . . » 314

RECENSIONES

GISSEPPE DE MARCHI - *Le Nunziature Apostoliche dal 1800 al 1956*. (FIORENZO ROMITA) . . . . . » 337

L'Attività della Santa Sede nel 1957 (I. PARISELLA). . . . » 338

TORRE JOANNES. *Processus Matrimonialis*. (FLORENTIUS ROMITA) . » 339

LAZZARO DAMIANUS. *Jurisprudentia Pontificia de metu, cc. 214 et 1087*. (FLORENTIUS ROMITA). . . . . » 340

KS. WLADYSLAW NACHTMAN. *Trybunal Roty Rzymskiej: Historia, organizacja, postepowanie*. (BOLESLAO FILIPIAK). . . . » 341

HÄRING, B. *La Legge di Cristo: I. Morale generale*. (E. BOCCALINI). » 341

BUGNINI, A· - BRAGA, C., *Ceremoniale della Settimana Santa* (D. BALBONI.) . . . . . » 342

BALDESCHI, G., *Sacre Cerimonie* (D. BALBONI,) . . . . . » 343

MALINGREY, A. M., *Initiation au latin de la Messe. Ponr mieux s'unir a la prière de l'Eglise*. (D. BALBONI.) . . . . » 344

DOCUMENTA

ACTA PII PP. XII. Litterae Encyclicae « *Miranda prorsus* » . . » 347

CHRONICA

Acta Pii PP. XII. Acta SS. Congregationum (A. SCOLA). . . » 376

Index Bibliographicus.

ADNOTATIONES
IN
ACTA SANCTAE SEDIS

Digitized by the Internet Archive
in 2024

https://archive.org/details/monitor-ecclesiasticus_1958_83_2

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

HOLLANDIAE

DECRETUM

ERECTIONIS VICARIATUS CASTRENSIS

Militantis Iesu Christi Ecclesiae cura semper studiumque fuit peculiares fidelium coetus opportunis spiritualibus instruere auxiliis.

Hisce de causis, cum, ceteris assentientibus Exc.mis Hollandiae locorum Ordinariis, Exc. P. D. Bernardus Ioannes Alfrink, Archiepiscopus Ultraiectensis et pro spirituali militum hollandensium cura Administrator Apostolicus, enixe postulaverit ut pro Christifidelibus Exercitus Hollandiae Vicariatus Castrensis constitueretur, SS.mus Dominus Noster Pius, Divina Providentia PP. XII, oblatas preces excipere Suae Apostolicae caritatis sapientiaeque officium esse ratus, praehabito favorabili voto Exc. P. D. Pauli Giobbe, Archiepiscopi titularis Ptolemaidensis in Thebaide et Nuntii Apostolici, in Regno Hollandiae Internuntii Apostolici, postulatis benigne annuendum censuit.

Quapropter, de consilio infrascripti Cardinalis S. Congregationis Consistorialis Secretarii, suppleto quatenus opus sit eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, praesenti Consistoriali Decreto Vicariatum Castrensem Hollandiae erigit atque constituit.

Hac ratione erectus Vicariatus Castrensis constabit: Vicario Castrensi, tribus Cappellanis maioribus, pro copiis respective terrestribus, aëreis et maritimis, atque cappellanis minoribus, qui simpliciter militum cappellani nuncupabuntur.

Sedes Vicariatus Castrensis eiusque Curiae Ultraiecti statuetur.

Officium Vicarii Castrensis Hollandiae Archiepiscopus pro tempore Ultraiectensis per peculiare S. Congregationis Consistorialis Decretum obtinebit, qui proinde utramque cumulabit iurisdictionem,

Vicario Castrensi competit iurisdictio ordinaria, personalis, tum fori interni tum fori externi, specialis et cumulativa cum iurisdictione Ordinariorum locorum, ad normam Instructionis *De Vicariis Castrensibus* a Sacra Congregatione Consistoriali die XXIII mensis Aprilis anni MCMLI editae. In stationibus seu praesidiis militibus reservatis primo et principaliter Vicarius Castrensis iurisdictionem exercet, secundario, quoties, scilicet. Vicarius Castrensis eiusque cappellani absint vel desint, semper autem iure proprio, Ordinarius loci atque parochus, initis. quatenus fas erit, consiliis cum Vicario Castrensi et militum ducibus.

Vicario Castrensi facultas tribuitur constituendi Vicarium Delegatum seu pro-Vicarium, cui, congrua congruis referendo. munia conferuntur quibus Codex Iuris Canonici Vicarium Generalem instruit.

Vicarii Castrensis iurisdictioni subduntur:

1. Sacerdotes saeculares et regulares qui munus cappellani militum pro spirituali cura copiarum Regni Hollandiae legitime exercent.

2. Universi Christifideles qui in copiis terrestribus, aëreis et maritimis Hollandiae actu stipendia faciunt.

3. Omnes pariter fideles qui memoratis copiis addicuntur. dummodo legibus pro ipsis copiis latis adstringantur.

4. Familiae eorum qui sub numeris 2 et 3 recensentur. id est uxores, liberi, famuli, propinqui et necessarii qui cum illis in stationibus copiarum cohabitant xel extra patriam comitantur.

5. Omnes utriusque sexus fideles qui nosocomiis, eorumque accessionibus, aut scholis militaribus addicti sunt et ibidem cohabitant.

6. Omnes tandem Christifideles qui intra copiarum stationes habitant.

Cappellanos omnes constituit, servatis servandis, Vicarius Castrensis.

Cappellani maiores necessariis et opportunis facultatibus a Vicario castrensi instruentur; militum vero cappellani animarum sibi commissarum curam gerent ad normam memoratae Instructionis *De Vicariis Castrensibus*.

Cappellani militum sive maiores sive minores, quoad ecclesiasticam disciplinam, potestati quoque Ordinarii loci in quo versari contingat subiiciuntur. Huic ergo in casibus urgentioribus et quoties Vicarius Castrensis providere non poterit, fas est in eos animadvertere etiam canonicis sanctionibus, si casus ferat, monito confestim Vicario Castrensi.

Quoad militum cappellanos religiosos, si forte adsint, adamussim servetur Instructio *De Cappellanis militum religiosis* a S. Congregatione negotiis religiosorum sodalium praeposita die II mensis Februarii anni MCMLV edita.

Ad matrimonium quod attinet subditorum Vicariatus Castrensis districte servetur praescriptum canonis 1097, § 2 C. I. C., id est, « pro regula habeatur ut matrimonium coram sponsae parocho celebretur, nisi iusta causa exscuset » et accurate expleantur actus qui, ad normam iuris, celebrationem matrimonii praecedere et subsequi debent.

In conficienda Relatione de statu Vicariatus Castrensis quae singulis trienniis Apostolicae Sedi debet exhiberi, Vicarius Castrensis quaesitis respondeat iuxta ea quae in « Formula Servanda » praescribuntur a S. Congregatione Consistoriali die XX mensis Octobris anni MCMLVI statuta.

Vacante officio Vicarii Castrensis, nisi aliter ab Apostolica Sepe provisum fuerit, regimen Vicariatus Castrensis, usque dum novus Archiepiscopus Ultraiectensis sedis possessionem ceperit, devolvetur ad pro-Vicarium, si adfuerit; secus ad cappellanum maiorem qui ad normam canonis 106, 3° C. I. C. praecedit. Qui autem Vicariatus Castrensis regimen tunc assumpserit facultatibus fruetur atque oneribus adstringetur quae ius commune, congrua congruis referendo, Vicario Capitulari tribuit. Ipsius praesertim erit de assumpto officio S. Congregationem Consistorialem certiorem facere ab eaque instructiones impetrare.

Ad haec exsecutioni mandanda Sanctitas Sua dictum Exc. P. D. Paulum Giobbe deputare dignata est opportunis et necessariis conlatis facultatibus etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, et onere imposito ad S. Congregationem Consistorialem quamprimum authenticum exemplar transmittendi actus peractae exsecutionis.

Quibus super rebus praesens edi iussit Consistoriale Decretum, perinde valiturum ac si Apostolicae sub plumbo Litterae expeditae forent.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die XVI mensis Aprilis anni MCMLVII.

+ Fr. A. I. Card. PIAZZA, Ep. Sabinen. et Mandelen, *a Secretis.*

L. + S.

Iosephus Ferretto, *Adsessor*

(*A.A.S.*, vol. 49, pp. 742-744).

ADNOTATIONES

1. Decreto S. C. Consistorialis *Militantis Iesu Christi Ecclesiae,* 16 apr. 1957, Pius Pp. XII *Vicariatum Castrensem Hollandiae* erigebat atque constituebat, cuius sedem in urbe Ultraiectensi figebat [1].

Revera in Regno Hollandiae seu Neherlandiae cura castrensis ordinata aderat Archiepiscopo Ultraiecten. concredita, qui pro spirituali militum hollandensium cura Administrator Apostolicus iam in Decreto constitutus apparet. Nova autem reordinatio, ad mentem Instructionis *Sollemne Semper,* 23 apr. 1951 [2], ad unitatem

---

[1] *AAS.* 49 (1957) pp. 742-744. Usque ad a. 1957 pastoralis cura castrensis ad normas Instructionis *Sollemne Semper,* 23 apr. 1951, organizata, magis ac magis in dies per diversos Status obtinet. Nam hodie talis cura taliter organizata in 17 saltem Statibus exsistit: in Republica Chilena (a. 1910), in Republica Italica (a. 1929), in Statu Foederali Germaniae (a. 1933), in Republica Peruviana (a. 1943), in Republica Colombiana (a. 1949), in Indonesia (a. 1949), in Regno Hispanico (a. 1951), in Republica Foederali Brasiliae (a. 1951), in Ditione Canadensi (a. 1951), in Ditione Sudafricana (a. 1951), in Republica Philippinarum (a. 1952), in Republica Gallica (a. 1922), in Regno Unito Magnae Britanniae (a. 1954), in Regno Hollandiae (a. 1957), in Republica Argentina (a. 1957), in Regno Belgii (a. 1957), in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis (a. 1957) (cfr. ANNUARIO PONTIFICIO pro anno 1958). In 15 autem Statibus Vicarius castrensis ad dignitatem Archiepiscopalem evehitur, in duobus vero ad dignitatem episcopalem. Insuper, in 9 Statibus officium coniungitur cum officio Archiepiscopi metropoleos principalis in loco. Denique, in tribus Vicariatibus castrensibus antiquioribus (in Chilensi nempe, Italico et Germanico) Vicarius castrensis sibi eligere potest Vicarium Generalem; in

redigit atque coordinat diversas ordinationes ecclesiasticas militares pro Hollandia.

2. Archiepiscopus Metropolitanus Ultraiecten. pro tempore est quoque *Vicarius castrensis Hollandiae,* pastoralem curam pro copiis officio suo cumulans, cui proinde competit iurisdictio *ordinaria, personalis,* tum fori interni tum fori externi, *specialis* et *cumulativa* cum iurisdictione Ordinariorum locorum [3]. Ordinaria enim est haec iurisdictio, quae ipsa iure adnexa est officio (c. 197 § 2). Personalis, insuper, dicitur, quia reapse, salva extensione Apostolica, tantum in subditos Vicariatus exercetur, independenter a territorio in quo actu ipsi inveniantur. Revera criterium personale divisionis iurisdictionis in Ecclesia veluti exceptionaliter admittitur, criterio territoriali, ex regula, praevalente (c. 216 § 4). Exceptio autem pro subiecta materia in systemate canonico praevidetur in c. 451 § 3 et in citata Instructione *Sollemne Semper;* qua scil. Instructione in Ecclesia enata est — universaliter quidem, quia iam hic inde tunc vigebat — specialis ecclesiastica circumscriptio, quae in tota Ecclesia iisdem characteribus, saltem in essentialibus, notetur, sicubi actu adplicari possit, in ordine ad specialem artis militaris professionem seu socialem conditionem illorum fidelium qui, quatenus et quoadusque, sub stipendiis inveniantur [4]. Specialis etiam dicitur haec militaris iurisdictio, quatenus conditiones, in quibus actu inveniuntur fideles qui stipendia merentur in copiis terrestribus, aëreis et maritimis, vere peculiares considerantur, quia, ex instabilitate copiarum ipsarum quae continuo et de loco in locum mutantur et in se perpetuo renovantur, non omnino respondent conceptui iuridico iurisdictionis ipsius personalis. Denique, cum huiusmodi fideles exclusivi subditi Vicariatus castrensis non sint eo quod nec proprium Ordinarium nec proprium parochum vitae civilis amittant, et veluti advenae ac peregrini (c. 91) etiam parocho et Ordinario loci, in quo actu inveniantur, subiiciantur, haec iurisdictio militaris cumulativa est

---

tribus aliis ex modernioribus (in Peruviano nempe, Argentino et Belgico) Provinciarium; in Hollandia et praesumibiliter in Indonesia, Vicarium Delegatum; in coeteris iurisdictionibus castrensibus Vicarius castrensis necessitatibus gubernii providet per Cappellanos Maiores.

[2] *AAS.* 43 (1951), pp. 562-565.

[3] Instr. *Sollemne Semper,* n. I-II. Cfr. A. Pugliese, *Storia e Legislazione sulla cura pastorale alle Forze Armate,* Romae, 1956 (apud Ordinariatum Militarem), pp. 121-128.

[4] Cfr. Orio Giacchi, *Cappellani militari,* in N.D.I.

[5] Cfr. A. Pugliese, op. cit., p. 126-127.

cum coeteris Ordinariis territorialibus. Inde solita distinctio inter *loca militaria* et *non militaria*[5]; in locis militaribus iurisdictio castrensis primaria est, in locis autem non militaribus semper relate ad copias, secundaria. Vicissim, in locis militaribus iurisdictio Ordinarii loci secundario exerceri potest, veluti ex iure proprio sed devolutivo, in locis vero non militaribus primario.

Haec, plerumque, sunt communia pro qualibet cura castrensi iam erecta vel erigenda, nisi aliud peculiariter et expresse notetur.

3. Status personalis Vicariatus castrensis in Hollandia comprehendit: *Vicarium castrensem* eiusque *Vicarium Delegatum*, quem ad instar Vicarii Generalis in dioecesibus atque iuxta ea quae primitus S. C. de Prop. Fide pro territoriis Missionum constituerat[6], sibi Vicarius castrensis eligere potest[7]; *tres Cappellanos Maiores*, pro copiis dumtaxat terrestribus, aëreis et maritimis; *Cappellanos minores* numero impraecisato.

Apte elenchat Decretum categorias subditorum Vicarii castrensis Hollandiae, quae largiores et completiores sunt quam in aliis Vicariatibus castrensibus, pro peculiari conditione militum in Hollandia. Non enim soli Sacerdotes, sive diocesani sive religiosi, qui Cappellani munus explent, et actu milites cum eorum familiis secum in stationibus conviventibus (uxores, liberi, famuli, propinqui et necessarii)[8]; sed etiam omnes utriusque sexus qui copiis addicuntur et disciplina militari adstringuntur, cum eorum familiis, vel qui quomodocumque intra septa copiarum stationum habitant; et omnes utriusque sexus qui nosocomiis, eorumque accessionibus, aut scholis militaribus addicuntur ibique habitant, subditi considerantur ad omnes effectus curae pastoralis Vicariatus castrensis. Nec excludi videntur civiles, qui in navi aut aëroplano militari vel qui in carcere militari suam operam praestant.

Inde Praelatura nullius, quae ita efformatur, proprium clerum, propriumque populum deducet, etsi cumulative.

4. Cappellanos omes Vicarius Castrensis constituit, servatis servandis, scil. obeservatis praescriptionibus citatae Instructionis

---

[6] S. C. DE PROP. FIDE, 8 dec. 1919 (*A.A.S.* 12 (1920) p. 120). Cfr. A. Pugliese, *De Vicario Delegato in territoriis missionum* (*Apollinaris* (6) (1953) pp. 196-217).

[7] Verbum *potest* possibilitatis est, non coactionis. Ideo Vicarius castrensis Vicarium Delegatum eligit si eo indigeat.

[8] In iure necessarii dicuntur qui sanguine vel adfinitate nobis coniunguntur et quandoque pro propinquis vox ponitur; neque tamen solum de cognatis et adfinibus sed de amicis quoque et familiaribus dicitur. Hic verba non videntur synonyma sed vox *necessarii* largior apparet quam vox *propinqui*.

necno naliorum Apostolicorum documentorum et peculiaribus dispositionibus militaribus [9]. Ipse quoque animas singulis commissas adsignat eosque singulis, largioribus saltem, partitionibus organicis distribuit.

Singuli Cappellani considerantur veri *parochi personales* pro sua quisque partitione populi, atque tenentur iis omnibus obligationibus quae in citata Instructione elenchantur, v. gr. quoad libros paroeciales (n. VI), quoad adplicationem Missae pro populo (n. XI), quoad facultatem matrimoniis propriorum subditorum adsistendi [10], et in genere quoad omnia munera et obligationes parochorum, congrua congruis referendo (n. X).

Cappellani Maiores, qua tales, considerandi potius sunt ad instar vicariorum foraneorum pro sua quisque partitione, et veluti delegati Vicarii castrensis pro exercitu terrestri, maritimo et aëreo, respective. Ideo nullam habent facultatem ex officio, praeter generalem vigilantiam in respectica sphaera actionis; sed eis Vicarius castrensis dabit necessarias et opportunas facultates delegatas.

Ex cumulatione iurisdictionis castrensis cum iurisdictione Ordinariorum locorum provenit quod Cappellani militum neque a potestate, etiam coactiva, Ordinarii loci in quo actu versantur, subtrahantur, neque a propria dioecesi excardinantur aut, si religiosi, a proprio Instituto libertatem consequantur [11].

5. Vicarius castrensis propriam Curiam habet quae in urbe Ultraiecten. sita est, quaeque organizari et ordinari debet ad instar aliarum Curiarum dioecesanarum et quasi-dioecesanarum (Vicarius Delegatus, Cancellarius, archiva, acta, etc.).

Ipse Vicarius castrensis adsimilatur aliis Ordinariis locorum (c. 198 § 1) ideoque potestate gaudet legislativa, coactiva et executiva pro toto Vicariatu. At eidem interdicitur exercitium sollemne

---

[9] Aliis verbis, Vicarius castrensis a singulis Ordinariis Hollandiae requiret iuvenes et aptos sacerdotes, quos Cappellanos nominabit. Ipsi Ordinarii facile bonos sacerdotes concedant pro tanto officio, bene perpendentes Epistolam S. C. Consistorialis *Divinum persequens mandatum*, 2 iun. 1951, Episcopatui Hispanico directam sed omnes Episcopos, veluti Apostolicam directivam, concernentem. Quodsi agatur de nominando sacerdote alicuius Status perfectionis, tunc observanda erit Instructio S. Congregationis de Religiosis, *Sacrorum Administri*, 2 febr. 1955 (*AAS*. 47 (1955), p. 93-97).

[10] Cfr. A. Pugliese, *Storia e Legislazione*, p. 133. Notentur dispositiones a S. Congregatione de Sacramentis latae et in Decretis erectionum Vicariatuum castrensium codificatae, matrimonia, pro regula, celebrari a parocho sponsae ex praescripto c. 1097 § 2.

[11] Cfr. Instr. *Sollemne Semper*, n. II.

potestatis coactivae. Qua re tacet Decretum circa erectionem tribunalis Vicariatus. Si quae autem quaestio iudicialiter pertractanda exoriatur, ad normam n. III praecitatae Instructionis, controversia deferenda erit tribunali dioecesano vel metropolitano, quod Vicarius castrensis semel pro semper designaverit. In casu, tribunal designandum convenienter erit tribunal ipsum metropolitanum Ultraiectense, quod in causa Vicariatus iudicabit nomine et auctoritate Archiepiscopi, qua Vicarii castrensis.

De coetero, Vicarius castrensis potest « Ordinem Divini Officii recitandi Sacrique peragendi » pro suo Vicariatu conficere [12], facultates quinquennales necnon decennales petere et obtinere [13], triennalem relationem de actis et de statu Vicariatus, iuxta praescriptam formulam, S. Congregationi Consistoriali exhibere [14], etc.

6. Vacante Sede Ultraiecten., necessario vacat quoque officium Vicarii castrensis usque dum novus Archiepiscopus sedis canonicam possessionem coeperit. Opportune igitur Decretum successioni providet, ad analogiam cum iure missionario aperte provocando (c. 309). Nisi itaque Apostolica Sedes iam aliter providerit, regimen Vicariatus castrensis adsumere debet Provicarius, si adsit; secus, Cappellanus Maior qui senior consideratur ad normas praecedentiae (c. 106, 3°).

In iure missionario, Ordinarius Missionis, statim ac gubernium territorii adsumpserit, nominare debet Provincarium (Propraefectum, Prosuperiorem) idoneum, nisi habeat Coadiutorem cum futura successione. Provicarius sede plena nihil potest potestate ordinaria, sed capax est recipiendae iurisdictionis delegatae, immo potest in Vicarium Delegatum nominari; sede autem vacante aut impedita (c. 429 § 1), nisi aliter a Sancta Sede provisum fuerit, totum regimen adsumere debet territorii cum omnibus facultatibus ordinariis titularis (cc. 310 § 2, 294), immo etiam delegatis, nisi commissae fuerint ob particularem habilitatem personae. Statim ac gubernium missionis adsumpserit, alium ecclesiasticum virum deputare debet, qui sibi in munere succedere possit, et quam primum de adsumpto gubernio Sanctam Sedem docere (c. 310 § 1). Quodsi nec Sancta Sedes successioni providerit, nec Provicarius habeatur, tunc *senior missionarius*, id est qui ex Europa prior in provinciam ingressus fuerit, et longiore tempore animarum mini-

---

[12] Ibid., n. VII.

[13] Ibid., n. VIII.

[14] Ibid., n. IX. Formula autem servanda a S. Congregatione Consistoriali edita fuit d. 20 oct. 1956.

sterio fuerit mancipatus [15], dummodo praesens fuerit in territorio momento vacationis quasi-dioeceseos et suas destinationis litteras patentes prius exhibuerit, « censetur *delegatus a Sancta Sede* ut regimen assumat, et inter plures aeque seniores antiquior sacerdotio » (c. 309 § 4).

Proinde, etiam in iure ecclesiastico militari, novae figurae exsurgunt: Provincarius et Senior Cappellanus Maior. Provincarius constitui debet a Vicario castrensi. Eius officium, quamvis utiliter cumulari possit cum officio Vicarii Delegati in eadem persona, manet tamen formaliter ab eodem distinctum. Provicarius enim tantum pro successione intermedia, ad modum nempe Vicarii Capitularis (c. 429 § 3), institutus est, dum Vicarius Delegatus iisdem iuribus iisdemque facultatibus fruitur ac Vicarius Generalis in dioecesibus.

Senior vero Cappellanus Maior, is nempe, cui est prae coeteris ius praecedentiae ad normam c. 106, 3°, in eadem linea ponitur, pro successione dumtaxat, ac Provicarius. Ambo enim adsimilantur Vicario Capitulari et, qua tales, obligantur ad S. Congregationem Consistorialem certiorem de adsumpto munere faciendam et ad instructiones ab ea impetrandas. Ambo tenentur c. 436. Nihilominus, distinctio facienda videtur circa originem iuridicam potestatis utriusque. Dum enim Provicarius ex officio gubernium Vicariatus castrensis adsumit, Senior Cappellanus Maior potius agere videtur ex delegatione a iure, sicuti senior missionarius.

AUGUSTINUS PUGLIESE

II

REIPUBLICAE ARGENTINAE

DECRETUM

DE ERECTIONE VICARIATUS CASTRENSIS

Vicariatus Castrenses novissimis hisce temporibus sedulo instaurati, editaeque normae ad militum cappellanorum munus rite exercendum, quantum sollicituidnis in spiritualem copiarum curam magis magisque promovendam impendere consuescat Catholica Ecclesia, perlucide testantur. Nuperrime immo, iis qui ad signa militaria et ad arma in Argentina dedu-

[15] Cfr. S. C. DE PROP. FIDE, 19 sept. 1787.

cuntur Religionis subsidia liberaliter collatura, Apostolica haec Sedes solemnem cum Reipublicae Argentinae Moderatoribus iniit Conventionem, Vicariatum Castrensem in primis constituendum censens.

Quapropter SS.mus Dominus Noster Pius Divina Providentia PP. XII, suppleto quatenus opus sit eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, praesenti Consistoriali Decreto Vicariatum Castrensem Reipublicae Argentinae erigit ac constituit.

Hac ratione erectus Vicariatus Castrensis constabit: Vicario Castrensi, tribus cappellanis maioribus pro copiis respective terrestribus, maritimis et aëreis, atque minoribus, seu militum, cappellanis. Quoties rectum Vicariatus Castrensis regimen id exigat, Vicarius Castrensis pro Vicarium sibi adsciscere valebit, cui — congrua congruis referendo — munia conferuntur Vicarii Generalis ex Codice I. C. propria.

Sedes huius Vicariatus Castrensis eiusque Curiae in urbe Bono Aëre statuetur; Curia autem Castrensis dioecesanae instar efformabitur et ad eam pro-Vicarius — si adsit — cappellani maiores, consultores aliique qui iudicio Vicarii Castrensis necessarii putantur, pertinebunt.

Vicarius Castrensis iurisdictione gaudebit personali, ordinaria tum fori interni fori externi, et speciali et cumulativa cum iurisdictione Ordinariorum locorum, iuxta Instructionem De Vicariis Castrensibus *Sollemne semper* a S. Congregatione Consistoriali die XXIII mensis Aprilis anno 1951 editam. In stativis castris et in locis militibus reservatis primo et principaliter Vicarius Castrensis iurisdictionem exercebit, secundario, quoties, scilicet, idem Vicarius Castrensis eiusque cappellani absint vel desint, semper autem iure proprio, Ordinarius loci atque parochus, initis, quatenus fas erit, consiliis cum Vicario Castrensi et militum ducibus.

Vicarius Castrensis Reipublicae Argentinae iurisdictione pollebit in eos omnes:

1. qui sub huius Reipublicae vexillis terra marique et aëria classi militant;

2. qui, istorum familias constituunt, uxores, videlicet, liberi, famuli, propinqui et necessarii, dummodo in copiarum

stationibus vel locis militibus reservatis cum iisdem cohabitent ;

3. qui scholas, academias aut ephebea in re militari instituendi frequentant;

4. qui tandem, sive alicui Religioni adscripti sive non, in nosocomiis et in locis militibus reservatis degunt vel commorantur.

Paroeciae B. Mariae V. vulgo de « Lujan » et « Stella Maris » in archidioecesibus respective Bonaërensi et Sinus Albi exstantes, iuridicam condicionem, qua in praesens perfruuntur, immutatam in posterum detinebunt; parochi et cooperatoris munia adimplebunt in ipsis militum cappellani, quibus, a Vicario Castrensi, servatis servandis, rite designatis et praesentatis, Ordinarius loci canonicam concedet institutionem.

Vicarius Castrensis, conlatis cum Reipublicae Praeside consiliis, ab Apostolica Sede deligetur, in dignitate episcopali constituetur et per peculiare S. Congregationis Consistorialis Decretum officio potietur.

Cappelanos omnes, sive maiores sive minores, servatis servandis, Vicarius Castrensis nominat, cuius ordinariae potestati, durante munere, omnino subduntur. Quoad ecclesiasticam disciplinam, vero, potestati quoque Ordinarii loci in quo versari contingat obnoxii erunt. Huic autem, in casibus urgentioribus et quoties Vicarius Castrensis providere non poterit, fas erit in eos animadvertere etiam canonicis sanctionibus, si casus ferat, et monito confestim Vicario Castrensi.

Quod ad militum cappellanos religiosos spectat, si forte adsint, adamussim servetur Instructio *De Cappellanis militum religiosis* a Sacra Congregatione negotiis Religiosorum sodalium praeposita die 2 mensis Februarii anno 1955 edita.

Cappellani maiores facultatibus a Vicario Castrensi instruentur necessariis et opportunis pro copiis regendis spirituali ipsorum curae demandatis.

Militum vero cappellani animarum sibi commisarum curam gerent, muneribus et obligationibus parochorum, ad memoratae Instructionis De Vicariis Castrensibus normam instructi.

Ubi autem impar necessitatibus sit militum cappellanorum numerus, Vicarius Castrensis, conlatis consiliis cum loci Ordinario aut cum Superiore religioso, sacerdotibus sive saecularibus sive regularibus militum curam committet eisque necessarias et opportunas tribuet — ad nutum — facultates.

Ad matrimonium quod attinet subditorum Vicariatus Castrensis districte servetur praescriptum canonis 1097, § 2 C. I. C., id est « pro regula habeatur ut matrimonium coram sponsae parocho celebretur, nisi iusta causa excuset » et accurate expleantur actus qui, ad normam iuris, celebrationem matrimonii praecedere et subsequi debent.

Vicarius Castrensis Relationem de statu Vicariatus Castrensis singulis trienniis Apostolicae Sedi exhibebit, quaesitis respondens iuxta ea quae in « Formula Servanda » praescribuntur a Sacra Congregatione Consistoriali die 20 mensis Octobris anno 1956 statuta.

Vacante Vicarii Castrensis munere, nisi aliter ab Apostolica Sede provisum fuerit, regimen Vicariatus Castrensis, usque ad successoris nominationem, pro-Vicarius, si adfuerit, assumet; secus Cappellanus maior qui ad normam canonis 106. 3° C. I. C. praecedit. Qui autem Vicariatus Castrensis regimen tunc assumpserit facultatibus fruetur atque oneribus adstringetur quae ius comune, congrua congruis referendo, Vicario Capitulari tribuit. Ipsius praesertim erit de assumpto munere S. Congregationem Consistorialem certiorem reddere ab eaque instructiones impetrare.

Ad haec exsecutioni mandanda Sanctitas Sua Exc. P. D. Marium Zanin, Archiepiscopum titularem Traianopolitanum in Rhodope et in Republica Argentina Nuntium Apostolicum deputare dignata est opportunis et necessariis conlatis facultatibus etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, et onere imposito ad S. Congregationem Consistorialem quamprimum authenticum exemplar mittendi actus peractae exsecutionis.

Quibus super rebus praesens edi iussit Consistoriale De-

cretum, perinde valiturum ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregations Consistorialis, die 8 mensis Iulii anno 1957.

+ Fr. A. I. Card. Piazza, Ep. Sabinen. et Mandelen., *a Secretis.*

L. + S.

Iosephus Ferretto, *Adsessor*

(*A.A.S.*, vol. 49, pp. 866-868).

ADNOTATIONES

1. In Republica Argentina iam a longo tempore, unilateraliter quidem, spiritualis adsistentia copiis praestanda aliquatenus organizata extabat, quamvis necessitatibus insufficiens. Etenim immani bello Europaeo extante (1915-1918), Episcopus castrensis, cui cura pastoralis incubuit catholicis militibus praestanda, in Republica constitutus fuerat. Illi duo Vicarii Generales praesto erant, alter pro exercitu terrestri, alter vero pro classi. Simplices vero Cappellani ad gradum centurionis (Capitani) evehebantur.

Cum autem gubernium foederale Religionem Catholicam, Apostolicam, Romanam esse Religionem Status sollemniter initio Constitutionis, Divino Nomine invocato, profiteretur, magna cautela superatis insidiis et sic dicti iurispatronatus hispanicae memoriae et malevolarum factionum politicarum, Sancta Sedes paullatim ad organizationem Ecclesiae in territorio Reipublicae processit. Nunc autem Decreto *Vicariatus Castrensis*, 8 iul. 1957 [1], sollemni cum Reipublicae Argentinae Moderatoribus inita conventione, Vicariatum castrensem Argentinae erigit ac constituit.

2. Opportune Decreti praeambulum notat plures esse Status, pro quibus, magno cum profectu copiarum ipsorum, novissimis hisce temporibus spiritualis adsistentia militum independenter ab Ordinariis locorum, veluti in *Praelaturam nullius* organizata est [2].

---

[1] *A.A.S.*, 49 (1957), pp. 866-868.

[2] Cfr. not. 1 in Adnotationibus praecedentibus ad Vicariatum castrensem Hollandiae.

Huiusmodi autem Praelatura nullius hic ponitur veluti consectarium sollemnis conventionis Sanctae Sedis cum gubernio Argentino. Quare, non unilateraliter, ad preces nempe Episcopatus, sicut pro Hollandia, aut ex Motuproprio egit Romanus Pontifex, sed ex conventione, quae characterem induit internationalem, etsi peculiarem et limitatum. Ita quoad adsistentiam spiritualem copiis argentinis praestandam ius quoddam *speciale*, consensu contrahentium, statutum est, quod lex concordataria, Ecclesiae scil. et Status, consideranda erit, non secus ac organizatio ecclesiastica castrensis quae viget v. gr. in Italia, Germania, Hispania. Organizatur vero haec adsistentia spiritualis de facto ad normam Instructionis *Sollemne Semper*, 23 apr. 1951, quae *communis Codex Curae castrensis* vocari potest, characteribus peculiaribus propriis ab aliis organizationibus seu ordinationibus simillibus distincta, ut melius conditionibus Status Argentini eiusque copiarum respondeat.

3. Itaque, Vicariatus castrensis in Argentina constabit:

a) *Vicario castrensi*, qui in urbe residet Bonaërensi cum sua Curia, quique *Provicarium* sibi constituere valebit [3];

b) *Tribus Cappellanis Maioribus* pro copiis respective terrestribus, maritimis et aëreis, qui facultatibus a Vicario castrensi instrui possunt necessariis et opportunis pro copiis regendis spirituali ipsorum curae demandatis, praeter ordinarias facultates quas obtinent ex officio ut simplices Cappellani;

c) *Cappellanis militum*, quotquot sunt necessarii.

Curia autem Vicariatus castrensis ad modum Curiae dioecesanae ordinatur (cc. 363-390). At dum in Curia dioecesana et res administrativae et res iudiciales agitantur, in Curia Vicariatus nulla iudicia fiunt, ideoque nullum tribunal. Non quod Vicario castrensi potestas iudicialis auferatur; sed ei interdicitur exercitium huius potestatis directum. Si quod igitur negotium iudicialiter pertractandum erit, Vicarius castrensis, ad normam n. III Instructionis *Sollemne Semper*, semel pro semper aliquod tribunal dioecesanum vel metropolitanum designabit, quod negotium pertractet auctoritate vicaria, nempe nomine Vicarii castrensis.

Porro, in sectione Curiae administrativa Provicarius, si adsit, erit caput et praeses eique subiicientur Cappellani Maiores, Consultores, aliique qui iudicio Vicarii castrensis necessarii putantur.

---

[3] At officium Vicarii castrensis in Argentina non coniungitur seu cumulatur cum officio Archiepiscopi Bonaërensis; habentur igitur duo Ordinarii et duae Curiae quae in eadem civitate resident.

4. Provicarius duplicem functionem explet: Vicarii nempe Generalis ut in dioecesibus, sede plena, et Vicarii Capitularis sede vacante aut impedita.

Etenim Provicarium sede plena libere eligit Vicarius castrensis (c. 366 § 2), quoties rectum Vicariatus regimen id, iudicio ipsius, exigat (c. 366 § 1)[4], eumque ad nutum removet, cum vel absque canonica causa, et sine formalitatibus aut processibus cuiuscumque generis, salvo gradu militari Provicarii. Iste qualitatibus a iure in Vicario Generali requisitis pollere debet (c. 367); eius officium erit vices Vicarii castrensis in exercitio iuridictionis voluntariae seu non iudiciali gerere[5], potestate quidem ordinaria sed vicaria, eumque adiuvare in spiritualibus et temporalibus (c. 366 § 1), exceptis iis, quae Vicarius castrensis sibi reservaverit, vel quae ex iuris dispositione aut ex rei natura requirant speciale mandatum (c. 638 § 1). Ipse quoque praecipua acta Curiae ad Vicarium castrensem referre tenetur, ipsumque certiorem facere de iis, quae gesta aut gerenda sint ad tuendam in clero castrensi et in subditis disciplinam. Cavere autem debet ne suis facultatibus utatur contra mentem ac voluntatem Ordinarii sui (c. 369), etiam sub poena nullitatis actorum, ob unitatem et uniformitatem in regimine Vicariatus.

At, dum Vicarii Generalis iurisdictio per vacationem sedis episcopalis expirat, Provicarius, vacante Vicarii castrensis munere, nisi aliud ab Apostolica Sede provisum fuerit, regimen Vicariatus castrensis, usque ad successoris nominationem et officii possessionis captionem, adsumit tamquam Vicarius Capitularis. Hinc aperta analogia ostenditur Provicarii castrensis cum Provicario (Propraefecto, Prosuperiore) territoriorum Missionum[6]. Ratio est quia Provicarius, ut superius innuitur, sede quidem plena, munus Vicarii Generalis explet, sede autem impedita aut vacante, munus Vicarii Capitularis agit. Hinc differentia maxima inter Vicariatum castrensem Hollandiae et Vicariatum castrensem Argentinae[7].

Sed aliae quoque sunt differentiae. Siquidem hic Cappellani Maiores, Consultores, aliique ad Curiam castrensem quoque pertinent.

---

[4] Non prohibetur enim Vicarius castrensis quominus eligat sibi simplicem *delegatum* loco Provinciarii; sed iste tantum delegata potestate ageret, nec titulari impedito vel demortuo succederet.

[5] Nulla, ut iam innuimus, competit Provinciario qua tali Ordinis aut iurisdictionis contentiosae potestas.

[6] Cfr. c. 309 § 2. Ipse igitur Provicarius sibi sede plena cumulare potest officium Vicarii Delegati, de quo in erectione Vicariatus castrensis Hollandiae

[7] Videsis supra n. 3.

Deficiente Provicario, primus, ex ordine praecedentiae, Cappellanus Maior caput est Curiae et in regimine Vicariatus interim succedit tamquam delegatus a iure, analogice ac contigit Seniori missionario.

Consultores, de quibus nihil dicitur in Decreto pro erectione Vicariatus castrensis Hollandiae, tenemus esse ad modum Consultorum dioecesanorum (cc. 423-428), qui, in coetum aliquem ordinati, vices supplent Capituli Cathedralis qua Senatus Vicarii castrensis [8].

Inter alios, quos Vicarius castrensis ad suam Curiam constituendam vocat, deficere non possunt Cancellarius et notarii, quotquot sunt necessarii sive pro actis conficiendis et conservandis sive pro archivis curandis, etc.

5. « Vicarius castrensis iurisdictione gaudebit personali, ordinaria tum fori interni tum fori externi, at speciali et cumulativa cum iurisdictione Ordinariorum locorum ». Ex his verbis Decreti desumitur naturam huiusmodi iurisdictionis castrensis eamdem esse ac quae in Instructione *Sollemne Semper* consideratur et in omni Cura castrensi organizata obtinet. Inde etiam expressa distinctio inter *loca militaria* et *non militaria;* in primis, nempe in castris stativis et in locis militibus reservatis (ut sunt nosocomia militaria, aëroportus et portus militares, naves, aëroplana, carceres militares, scholae et academiae militares), iurisdictio castrensis exercetur primario et principaliter sive a Vicario castrensi sive a Cappellanis, secundario vero sed iure proprio quamquam devolutivo, ab Ordinario loci vel parocho, quoniam loca subtracta non sunt a potestate Ordinarii loci quamquam et Ordinario castrensi ratione personarum subiiciantur; in locis vero non militaribus, relate ad milites, si desint aut absint Vicarius castrensis eiusve Cappellani, iure et auctoritate propria agunt Ordinarius loci atque parochus. At, dum in locis militaribus Ordinarius loci et parochus, ut licite agant, debent cum Vicario castrensi et militum ducibus inire consilia, nulla ad id necessitate impelluntur in locis non militaribus.

Inde perspicitur exemptionem castrensem minorem esse quam exemptionem Religiosorum exemptorum, de qua in c. 618 § 1. Nam ratione personarum exemptarum etiam loca ab eis inhabitata

---

[8] Etiam in territoriis Missionum constituendum est *Consilium Missionis*, quod locum teneat Capituli Cathedralis, ex tribus saltem antiquioribus et prudentioribus missionariis, quorum consilium exquirat Praelatus Missionis saltem in gravioribus et difficilioribus negotiis (c.302). Ita quoque videtur Vicarius castrensis sese genere debere.

exempta aliquatenus dici debent nec pro Religiosis exemptis fieri potest distinctio, quae, quoad exercitium iurisdictionis, profertur in exemptione castrensi.

6. Sed et territorialis certa quoque iurisdictio competit Vicario castrensi Argentino in paroeciis *B. M. V. de Lujan* in Archidioecesi Bonaërensi et *Stella Maris* in dioecesi Sinus Albi. Istae paroeciae iam antea considerabantur centrales sedes esse iurisdictionis castrensis pro exercitu et aëronautica, et pro classi, respective. Collatis, ut videtur, consiliis inter Curias, paroeciae huiusmodi manent veluti Vicariatui castrensi incorporatae atque pleno iure unitae, ad modum paroeciarum quae pleno iure domui religiosae uniantur (c. 1425 § 2). Ideo, Vicarius castrensis designat Cappellanos, qui munera in iisdem parochi (vicarii actualis: c. 471 § 1) et vicarii cooperatoris expleant, eosque, servatis de coetero ad normam iuris servandis, Ordinario loci praesentat, cui pertinet eos probare, eisque canonicam concedere institutionem (c. 1425 § 2). Ipsi designati Ordinarii loci iurisdictioni, correctioni et visitationi subesse debent in iis rebus quae ad curam animarum paroeciae pertinent; non solum igitur ob cumulationem iurisdictionis, sicuti coeteri Cappellani, sed ex novo quoque titulo [9]. Tum enim paroeciae tum populus in eisdem ad dioeceses pertinent.

Quoad temporalia, silente Decreto, tenemus Codicem esse servandum.

7. Vicarius castrensis in Argentina debet in dignitate episcopali constitui et ab Apostolica Sede nominari, « collatis cum Reipublicae Praeside consiliis »: hinc Decretum provocare videtur ad privilegium *praenotificationis officiosae* [10], vi cuius, antequam persona quaelibet ad officium Vicarii castrensis deputetur, eius nomen se-

---

[9] Quod non est novum in iure canonico, etsi nunc primum in iure ecclesiastico militari Lege propria Vicariatus castrensis Argentinae expresse contineatur. Non enim repugnat ut Praelatura nullius personalis habeat locum in quo eius sedes praecipua consistat; qui locus cum populo eiusdem subiectus maneat Ordinario dioecesis in qua inveniatur. Ita Praelatura nullius *Missionis Gallicae* seu *Pontiniacen.* unicam habet paroeciam in qua consistat et apostolatum evolvit inter operarios totius territorii Gallicae ditionis (Const. Ap. *Omnium Ecclesiarum sollicitudo,* 15 aug. 1954; *A.A.S.*, 46 (1954) pp. 567-574). Est tamen differentia. Paroecia enim Pontiniacen. cum clero, populo et territorio ab antiqua propria dioecesis subtracta est et unice Praelato nullius subiecta; dum e contra paroeciae B.M.V. de Lujan et Stella Maris Vicariatui castrensis Argentino tantum incorporatae sunt sed sub iurisdictione manent respectivorum Ordinariorum locorum.

[10] Cfr. Em.mus Ottaviani, *Institutiones Iuris Publici Ecclesiastici,* I, Romae, 1926, pp. 472, 481-486.

creto et confidentialiter per organa diplomatica Reipublicae, Praesidi praenunciatur, ut hic valeat rationes ordinis politici, si quae sint, contra ipsam personam exponere, pariter per organa diplomatica. Quo privilegio et tuetur libertas Apostolicae Sedis in seligendis Ordinariis locorum et necessariae et sufficientes dantur Statui cautiones, quod persona Reipublicae hostilis non eligitur [11]. Nominatur deinde Vicarius castrensis et per peculiare Decretum S. Congregationis Consistorialis canonicam officii possessionem consequitur [12].

Vicarius castrensis, ita electus et in possessionem sui officii immissus, Cappellanos omnes nominat, sive Maiores sive minores, servatis servandis, id est collatis consiliis cum Ordinariis proprns eorum qui ad Cappellani munus vocantur necnon et proviso quod auctoritates militares ita vocatis gradus militares concedant.

Omnes Cappellani militum seligendi sunt inter clerum dioecesanum vel Statuum perfectionis. Ordinarie Vicarius castrensis ab omnibus vel a singulis Ordinariis in Republica Argentina postulabit ut quos Sacerdotes retinent dignos aptosque ad Cappellani munus rite et cum fructu exercendum, illos Vicario castrensi patefaciant; ipse vero inter praesentatos seligit et providet ut apud auctoritates militares fiat eisdem graduum militarium concessio. Si qui autem ex Statibus perfectionis ad tantum munus adsumendi sint, necesse est ut observentur quoque praescriptiones a S. Congregatione de Religiosis emanatae [13].

Cum vero contingere possit quod militum manipulum seu praesidium tam longe a locis ubi Cappellani inveniantur sit dislocatum, ut isti nequeant praesto esse quandocumque necesse sit, ne numerus Cappellanorum in infinitum multiplicetur, Vicarius castrensis spiritualem curam militum manipuli seu praesidii demandare potest Sacerdotibus sive dioecesanis sive Statuum perfectionis in loco, collatis consiliis cum loci Ordinario aut cum Superiore, respective, eisque necessarias et opportunas facultates ad nutum delegatas concedit.

8. Omnes quidem Cappellani, sive Maiores sive minores, propriam dioecesim propriumve Statum perfectionis adsumptione mu-

---

[11] Non aliter res praevidetur tum in Concordato Lateranensi art. 13 pro Italia, tum in aliis Conventionibus inter Sanctam Sedem et varios Status.

[12] Primus Vicarius castrensis Argentinae Decreto S. Congregationis Consistorialis, 3 iul. 1957, Exc.mus F. Aem, Lafitte, Archiepiscopus Cordubensis et Coadiutor sede plena Bonaërensis, nominatus est (*A.A.S.*, 49 (1957), p. 869).

[13] S. C. de Rel., Instr. *Sacrorum Administri*, 2 febr. 1955 (*AAS.*, 47 (1955), pp. 93-97). Cfr. A. Pugliese, op. cit. pp, 154-169; Instr. *Sollemne Semper*, n. XIII.

neris non amittunt neque a sui respectivi Ordinarii iurisdictione subtrahuntur [14]. Quapropter ordinariae potestati Vicarii castrensis, durante munere, omnino subduntur, sed possunt a proprio Ordinario revocari, iusta de causa et naturali aequitate servata (c. 144). Immo, ex cumulatione iurisdictionis Vicarii castrensis, ipsi, quoad ecclesiasticam disciplinam, potestati quoque Ordinarii loci in quo eos versari contingat obnoxii erunt, qui potest « in casibus urgentioribus et quoties Vicarius castrensis providere non poterit, in eos animadvertere etiam canonicis sanctionibus, si casus ferat, et monito confestim Vicario castrensi ». Inde limitatur potestas Ordinarii loci quoad Cappellanos militum: in casibus ordinariis nempe Cappellani militum ad servandas leges dioecesanas et ad oboediendum Ordinario loci, salvo suo munere, tenentur quidem, tum ob rationem boni publici, tum ob uniformitatem vitae agendae et activitatis apostolicae explicandae universi cleri in dioecesi, sed, si delinquant, denunciandi sunt Vicario castrensi; in adiunctis vero extraordinariis Ordinarius loci potestate coactiva in Cappellanos militum uti non potest nisi in casibus urgentioribus, qui moram videlicet non patiuntur, et iure devolutivo seu in substitutione Vicarii castrensis impediti, quem illico informare debet.

Potestas propria, nempe ex officio, singulorum Cappellanorum est potestas *pastoralis*, quoad animarum sibi a Vicario castrensi commissarum curam, quae muneribus et obligationibus parochorum conflatur. Qua re Cappellani militum in Argentina sunt veri parochi personales, quorum iura et obligationes tum a iure communi tum a iure particulari determinantur [15]. Praeter facultates ordinarias ad modum parochorum, Cappellani Maiores alias quoque delegatas facultates a Vicario castrensi obtinere possunt, quae considerentur necessariae et opportunae pro copiis regendis spirituali ipsorum curae demandatis, quaeque eos adsimilare faciunt vicariis foraneis iuris communis.

Denique, munus Cappellani militum non est stabile, seu potius, Cappellanus nominatur semper ad nutum: non solum a proprio Ordinario revocari potest, sed etiam a Vicario castrensi dimitti quacumque iusta causa et consequenter ab exercitu missionem accipere.

9. Amplitudo potestatis tum Vicarii castrensis tum singulorum Cappellanorum opportune describitur in Decreto, specifice

---

[14] Cfr. Instr. *Sollemne Semper*, n. II.

[15] Cfr. Instr. *Sollemne Semper*, n. VI-VII, X-XVII. Expresse edicitur in Decreto de competentia matrimoniali Cappellanorum militum, simul monendo de servando praescripto c. 1097 § 2.

elenchando personas quae iurisdictioni castrensi subiiciuntur. Non solum enim milites proprie dicti terra marique et aëria classi actu servientes, sed eorum quoque familiae (uxores, liberi, famuli, necessarii) [16] secum in stationibus et locis militaribus conviventes, sunt subditi Vicarii castrensis et consequenter Cappellani militaris eis addicti; insuper, omnes personae quae scholas, academias, ephebea militaria *frequentant,* etsi habitualiter in ipsis non habitent, et omnes utriusque sexus personae sive in Statibus perfectionis professae sive simplices fideles, qua in supradictis scholis, in nosocomiis, in carceribus, in portibus, in navibus, in aëroportibus, in aëroplanis, uno verbo, in locis militibus reservatis servitium praestant, degunt vel commorantur.

Hic proinde largior habetur amplitudo potestatis, nempe largiores habentur categoriae subditorum iurisdictionis castrensis quam in aliis simillibus Vicariatibus castrensibus.

10. Iura et obligationes Vicarii castrensis, ut iam innuebamus, ex iure communi desumuntur, ex Instr. *Sollemne Semper* necnon et ex praesenti Decreto. Utpote enim Ordinario loci, Vicario castrensi ea omnia competunt quae in Codice ad Ordinarium loci sese referuntur, nisi aliter aut ex natura rei aut ex positiva exceptione caveatur.

Peculiariter nominatur in Decreto obligatio Vicario castrensi imposita singulis trienniis de statu Vicariatus ad Apostolicam Sedem referendi. Quae relatio quinquennali relationi Ordinariorum locorum, de qua in c. 340, respondet, et praecisius *de actis ac de statu Vicariatus* esse debet atque S. Congregationi Consistoriali exhiberi [17]. In conficienda relatione Vicarius castrensis respondere debet singulis quaestionibus in « Formula servanda » die 20 oct. 1956 edita contentis.

De obligationibus canonice visitandi Vicariatum (cc. 343-346) et visitationis *ad limina* (c. 341) ne verbum quidem in iure ecclesiastico militari communi et peculiari. Nihilominus, ex generica eius ad Ordinarios loci adsimilatione, putamus his simillibusque obligationibus, congrua congruis referendo pro speciali conditione eius, etiam Vicarium castrensem teneri [18].

Augustinus Pugliese

---

[16] Videsis not. 8 in Adnotationibus praecedentibus ad Vicariatum castrensem Hollandiae.

[17] Cfr. Instr. *Sollemne Semper*, n. IX.

[18] Cfr. A. Pugliese, op. cit. p. 137.

III

BELGII

DECRETUM

DE ERECTIONE VICARIATUS CASTRENSIS

Lectissimis militum turmis Romani Pontifices paterna semper cura consuluere, harumque spirituali bono iugiter invigilantes, ex Suprema, qua pollent, auctoritate, inspectis rerum, temporum ac locorum momentis, ea sanxerunt quae in eorundem militum animarum salutem cessura in Domino iudicarunt.

Hac sane mente adducti, felicis recordationis, tum Pius PP. IX, tum S. Pius PP. X, tum tandem Benedictus PP. XV peculiaribus facultatibus militum cappellanos Exercitus Belgici in Belgicarum copiarum commodum ditarunt.

Equidem Ss.mus Dominus Noster Pius Divina Providentia PP. XII, omnium, qui adsunt et qui futuri sunt, Belgicorum militum maiori spirituali utilitati prospiciens, precibus ab E.mo P. D. Iosepho Ernesto S. R. E. Cardinali van Roey, Archiepiscopo Mechliniensi, consultis Episcopis suffraganeis, porrectis, erectionem Vicariatus Castrensis Belgii enixe postulant, praehabito favorabili voto Exc. P. D. Ephrem Forni, Archiepiscopi titularis Darnitani et in Belgio Nuntii Apostolici, benigne dignatus est annuere.

Quapropter, de consilio infrascripti Cardinalis S. Congregationis Consistorialis Secretarii, suppleto, quatenus opus sit, eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, de plenitudine Apostolicae potestatis, praesenti Consistoriali Decreto, Vicariatum Castrensem Belgii erigit ac constituit.

Hac ratione erectus Vicariatus Castrensis constabit: Vicario Castrensis, pro-Vicario seu Cappellano Maiore, et Cappellanis militum seu minoribus.

Sedes Vicariatus Castrensis eiusque Curiae — ad instar diocesanae constitutae — Bruxellis erit.

Vicarii Castrensis munus et officium Archiepiscopo pro tempore Mechliniensi, nunc et in posterum, per peculiare S.

Congregationis Consistorialis Decretum defertur, qui utramque proinde cumulabit iurisdictionem.

Vicarius Castrensis iurisdictione habebit personalem, ordinariam tum fori interni tum fori externi, specialem et cumulativam cum iusdictione Ordinariorum locorum ad normam Instructionis De Vicariis Castrensibus *Sollemne semper* a S. Congregatione Consistoriali die 23 mensis Aprilis anni 1951 editae.

In stativis autem castris et in locis militibus reservatis primo et principaliter Vicarius Castrensis iurisdictione exercebit, secundario, quoties, scilicet, Vicarius Castrensis eiusque cappellani absint vel desint, semper autem iure proprio, Ordinarius loci atque parochus, initis — quatenus fas erit — consiliis cum Vicario Castrensi.

Iurisdictioni Vicarii Castrensis obnoxii erunt:

1. Sacerdotes utriusque cleri qui muneri cappellani militum pro copiis Belgicis habitualiter deputantur, vel non habitualiter sed tempore quo opem praestant;

2. Universi Christifideles qui in copiis terestribus, aëreis, maritimis et a publica tutela, vulgo gendarmes-rijkswachters, stipendia faciunt;

3. Fideles pariter, sive alicui Religioni adscripti sive non, qui ob contractum aut famulatum copiis habitualiter addicti sunt;

4. Familiae eorum qui sub nn. 2 et 3 recensentur, liberi scilicet, uxores, famuli, propinqui et necessarii, quae extra patrium territorium ipsos comitantur.

Pro-Vicarium et cappellanos — servatis servandis — Vicarius Castrensis nominat, cuius ordinariae potestati, durante munere, omnino subiacebunt. Quoad ecclesiasticam disciplinam tamen, militum cappellani potestati quoque Ordinarii loci in quo versari contingat obnoxii erunt, cui, in casibus urgentioribus et quoties Vicarius Castrensis providere non poterit, fas erit in eos animadvertere etiam canonicis sanctionibus, si casus ferat, et monito confestim Vicario Castrensi.

Quod ad militum cappellanos religiosos attinet, adamussim servetur Instructio *De Cappellanis militum religiosis* a S. Congregatione negotiis Religiosorum sodalium praeposita die 2 mensis Febbruarii anni 1955 edita.

Pro-Vicarius seu Cappellanus Maior muneribus adstringetur et officiis quae — congrua congruis referendo — Codex Iuris Canonici officio Vicarii Generalis adnectit.

Militum vero cappellani animarum sibi commissarum curam gerent muneribus et obligationibus parochorum ad normam memortae Instructionis De Vicariis Castrensibus.

Militum cappellani valide et licite audire possunt confessiones quorumlibet ad se accedentium in locis militibus reservatis.

Ad matrimonium quod attinet subditorum Vicariatus Castrensis, districte servetur praescriptum canonis 1097, § 2 C. I. C., id est « pro regula habeatur ut matrimonium coram sponsae parocho celebretur, nisi iusta causa excuset » et accurate expleantur actus qui, ad normam iuris communis, celebrationem matrimonii praecedere et subsequi debent.

Causas subditorum Vicariatus Castrensis Belgii, sive contentiosas inter ipsos, sive criminales, tribunal metropolitanum archidioecesis Mechliniensis in prima instantia, dioecesanum Gandavense in altera instantia pertractabit.

Vicarius Castrensis Relationem de statu Vicariatus Castrensis singulis trienniis Apostolicae Sedi exhibebit, quaesitis respondens iuxta ea quae in Formula Servanda praescribuntur a S. Congregatione Consistoriali die 20 mensis Octobris anni 1956 statuta.

Vacante officio Vicarii Castrensis, nisi Sancta Sedes aliter providerit, regimen Vicariatus Castrensis, usque dum novus Archiepiscopus Mechliniensis sedis possessionem ceperit, penes pro-Vicarium esto.

Qui autem Vicariatus Castrensis regimen tunc susceperit omnes et solas facultates habebit quae — congrua congruis referendo — Vicario Capitulari competunt, eiusdemque obligationibus obnoxius erit. Ipsius praesertim erit de assumpto munere S. Congregationem Consistorialem monere ab eaque instructiones impetrare.

Ad haec exsecutioni mandanda Sanctitas Sua memoratum Exc. P. D. Ephrem Forni deputare dignata est, necessarias et opportunas ei tribuens facultates etitm subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate

constitutum, onere imposito ad S. Congregationem Consistorialem quem primum transmittendi authenticum exemplar actus perectae exsecutionis.

Quibus super rebus praesens edi iussit Consistoriale Decretum perinde valiturum ac si Apostolicae sub plumbo Litterae expeditae fuissent.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis Consistorialis, die 7 mensis Septembris, anno 1957.

+ Fr. A. I. Card. Piazza, Ep. Sabinen. et Mandelen., *a Secretis.*

L. + S.

Iosephus Feretto, *Adsessor*

(*A.A.S.*, vol. 49, pp. 940-943).

ADNOTATIONES

1. In Regno Belgico iam a medietate saeculi praeterlapsi habita est iurisdictio castrensis aliquantenus ordinata. Sed proprie a tempore magni belli europaei 1914-1918 nova facta est organizatio novis exigentiis accommodata; initio quidem occasionaliter, sed die 4 maii 1915 [1] S. Congregatio pro Negotiis Eccl. Extraordinariis ad Belgicos quoque Cappellanos facultates iam Gallicis Cappellanis concessas directe extendit cum adnexa facultate religiosa pietatis obiecta benedicendi, et die 27 aug. 1915 [2] Cappellanum Maiorem seu Vicarium castrensem, pro tempore belli dumtaxat, creavit, qui ordinaria polleret iurisdictione sive in Cappellanos sive in milites catholicos exercitus belgici, quique, tamquam Ordinarius loci, posset sibi unum et alterum Vicarium constituere. Quapropter ei fuit potestas, collatis consiliis cum Gubernio civili et cum coeteris Ordinariis Cappellanos nominandi, de uno in alium locum transferendi, puniendi atque ab officio removendi monito

---

[1] *A.A.S.*, 8 (1915), pp. 268-269). Videsis A. Pugliese, *Storia e Legislazione*, pp. 192-195.

[2] *A.A.S.*, 8 (1915), pp. 463-464.

Ordinario Cappellani proprio. Haec autem ordinatio provvisoria erat; qua re, bello finito, facultates, plerumque, revocatae sunt [3]. Attamen, pro ea parte Germaniae quae ab exercitu belgico vigente armistitio occupata fuerat, Secretaria Status Cappellanis concesserat [4] facultates fere paroeciales, quibus non solum milites eorumque familias secum conviventes, sed omnes quoque fideles in territorio occupationis pastoraliter curarent [5].

Civiliter, iuxta Ordinationes 17 aug. 1927, quae modificatae pluries fuerunt (29 febr. 1928; 16 mart. 1929; 6 ian. 1931; 29 oct. 1934; 21 aug. 1948, etc.), Cappellani militum considerabantur veluti civiles qui copiis addicantur « en vue d'y assurer en tous temps le service du culte et de procurer les services moraux de la Religion dans le corps et services de l'Armée ». Insuper, Cappellani Religionem docebant in scholis militaribus (Ecole des Cadets, Ecoles d'Armes). Veste militari induti, Officialibus adsimilabantur et magna libertate pro sua speciali apostolica activitate gaudebant. Tota castrensis cura a Cappellano Maiore dirigebatur, qui duobus Cappellanis Maioribus adiunctis coadiuvantibus, spirituali copiarum terrestri, navali aut aëria classi inservientium curae praeficiebatur. Unus e Cappellanis Maioribus adiunctis praeerat quoque Sacerdotibus, Seminaristis et Religiosis, qui ad stipendia vocabantur [6]. Circumscriptionibus particularibus territorialibus totidem praeficiebantur Cappellani principales, qui aliis Cappellanis suae cuiusvis circumscriptionis praeessent. Praevidebatur nominatio Cappellanorum etiam pro cultu protestantico et israelitico. Omnes denique Cappellani a Rege nominabantur, duplici categoria distinguebantur, et Cappellano Maiori catholico subiiciebantur.

Ecclesiastice vero, Cappellani catholici omnes a proprio Ordinario originis suam iurisdictionem delegatam suasque facultates

---

[3] S. C. Consist., 22 febr. 1919 (*A.A.S.*, 12 (1919), p. 74.

[4] Ep. ad Card. Archiep. Mechlinien., 5 apr. 1922.

[5] Cfr. J. Kempeers, *L'aumônier militaire à l'armée belge,* 1949, p. 37.

[6] Revera, a. 1912 in Belgio servitium militare pro omnibus civibus masculini sexus factum est obligatorium, et a. 1920 Coetus Episcoporum, adsentiente Apostolica Sede, privilegii immunitatis civili abolitioni adquievit, sub conditione quod Sacerdotes, Seminaristae et Membra Statuum perfectionis destinarentur, plerumque, sectioni Sanitatis militaris, quodque Seminaristae et Membra Statuum perfectionis in clericatu constituti ad servitium militare vocarentur in secundo vel tertio cursu theologico, quem, coordinate cum programmate scholastico Seminariorum Religiosorumque Scholasticatuum, simul complerent ad militiam vocati in praeconstitutis locis militaribus. A quocumque autem servitio militari praestando eximuntur qui ad exteras missiones immediate se praeparent.

recipiebant. Ex eis tres tantum, nempe Tornacensis, Namurcensis et Gandensis parochi personales habebantur; coeteri autem minime, sed a propriis Ordinariis facultates administrandi Sacramenta Baptismi, Paenitentiae, Eucharistiae et Extremae Unctionis, absolvendique a censuris et a casibus Ordinario reservatis obtinebant. Poterant insuper filios militum ad recipiendam sollemnem Communionem et Confirmationem praeparare, processiculos praematrimoniales militum ipsorumque filiorum filiarumve conficere, militibus eorumve familias iusta funebria persolvere, et confessiones fidelium in tota Belgii ditione audire.

Cappellani, denique, qui copiis districtum Germaniae occupantibus praeerant facultates suas a Cappellano Maiore recipiebant, qui a Sancta Sede constitutus erat veluti Ordinarius Belgarum in territorio occupato degentium. Quare, et isti erant veri parochi personales pro iis, quorum curae spirituali addicebantur.

Ex Cappellanis catholicis tres spirituali directioni praeponebantur scholis militaribus duarum linguarum atque Castro *de Beverloo,* ubi est centrum instructionis pro seminaristis et religiosis qui stipendia merentur.

Tempore pacis talis organizatio characterem territorialem habebat, sed indolem personalem adsumpsit in novo bello mundiali 1939-1940.

Vi Ordinationis Regentis (Arrêtè du Régent), 21 aug. 1948 n. 5829, tabulae organicae Cappellanorum catholicorum enumerabant unum Cappellanum Maiorem, 9 Cappellanos principales, 50 Cappellanos primae et secundae classis, 15 Cappellanos extra ordinem, et fere 700 Cappellanos « della riserva ». Istorum omnium et singulorum facultates in litteris patentibus destinationis enumerabantur, quas Coetus Episcoporum singulis concedebat ad exercitium sacri ministerii pro militibus eorumque familiis.

Insuper, Cappellanis belgicis, qui in ea parte Germaniae quam exercitus belgicus occupaverat, inveniebantur, facultates ordinarias personales et cumulativas cum Ordinariis locorum pro militibus atque civilibus exercitui addictis denuo Secretaria Status renovavit [7].

2. Rebus sic stantibus, die 7 sept. 1957 Decretum S. Congregationis Consistorialis *Lectissimis militum turmis* prodiit de creatione Vicariatus castrensis in Belgio [8].

Imprimis sollicitudinem Romanorum Pontificum pro ea parte

---

[7] Sacretaria Status, 20 aug. 1946.

[8] *A.A.S.*, 49 (1957), pp. 940-943.

fidelium qui sub militari disciplina directe aut indirecte inveniuntur ostendit Decretum et peculiariter innuit quae iam Pius IX, S. Pius X et Benedictus XV in hac provincia pro Belgio fecerant.

Deinde, Decretum provocat ad preces Episcoporum Belgii; quibus receptis Romanus Pontifex « suppleto, quatenus opus sit, eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, de plenitudine Apostolicae potestatis » Vicariatum castrensem Belgii constituit. Nihil dicitur de conventione cum Gubernio civili; sed videtur plus minusve Decretum recepisse Ordinationem Regentis diei 21 aug. 1948 et veluti actualem situationem Cappellanorum in Belgio Instructioni *Sollemne Semper* aptasse.

Itaque, Vicariatus castrensis Belgii constat: Vicario castrensi, Provicario seu Cappellano Maiore et Cappellanis minoribus.

Sedes Vicariatus castrensis eiusque Curiae Bruxellis erit.

3. Vicarii castrensis munus et officium Archiepiscopo pro tempore Mechliniensi, nunc et in posterum, per peculiare S. Congregationis Consistorialis Decretum deferetur, qui utramque proinde cumulabit iurisdictionem [9], et scil. Ordinarii Archidioeceseos Mechliniensis ideoque et Metropolitani Belgii, et Vicarii castrensis. Qua re, adveniente sedis Mechliniensis vacatione, officia, utpote quae in persona uniuntur, dividuntur interim ut iterum coniungantur in persona novi Archiepiscopi.

Qua Vicarius castrensis, Archiepiscopus Mechliniensis habet iurisdictionem personalem, ordinariam tum fori interni tum fori externi, vicariam, specialem et cumulativam cum iurisdictione Ordinariorum locorum, non secus ac dictum est pro Vicariatibus Hollandiae et Argentinae. Hinc distinctio inter loca militaria et non militaria et inter exercitium iurisdictionis primarium et secundarium. Dicitur enim: « In stativis castris et in locis militibus reservatis (scil. in portibus et aëroportibus militaribus, in navibus et aëroplanis militaribus, in scholis et academiis militaribus, in carceribus et nosocomiis militaribus) primo et principaliter Vicarius castrensis iurisdictionem exercebit, secundario, quoties, scilicet Vicarius castrensis eiusque Cappellani absint vel desint (nempe, iure devolutivo), semper autem iure proprio (quia loca eius iurisdictioni non subtrahuntur), Ordinarius loci atque parochus, initis — quatenus fas erit — consiliis cum Vicario castrensi » [10]. Logice se-

[9] Decreto 7 sept. 1957 S. Congregatio Consistorialis E.mum van Roey Archiep. Mechlinien. *Vicarium castrensem Belgii* nominavit (*A.A.S.*, 49 (1957), p. 943). Cfr. not. 1 in Adnotationibus ad Vicariatum castrensem Hollandiae.

[10] Cfr. Instr. *Sollemne Semper*, n. II.

querentur quod, viceversa, in locis non militaribus primo et principaliter exerceretur iurisdictio Ordinarii loci, secundario vero iurisdictio Vicarii castrensis. At, cum agatur de militibus, si isti ad aliquam Ecclesiam simul cum suis pro diversis gradibus ducibus congregati conveniant et praesto sit eorum Cappellanus, quamvis locus non sit militaris, iste potius quam parochus loci evidenter ritum sacrum celebrare debet, etsi, ex urbanitate, licentiam parochi expetat. Quo autem deficiente vel impedito, parochus loci subintrat iure proprio nec devolutivo.

Vicarius castrensis nominat Provicarium et Cappellanos omnes, servatis servandis; scil. obtento saltem *nihil obstat* Ordinarii nominandi proprii. Quodsi agatur de nominandis in Statibus perfectionis professis, observandae quoque erunt praescriptiones a S. Congregatione de Religiosis emanatae [11].

Quoad gradus militares, Vicarius castrensis providet ut nominatis ii ab auctoritatibus competentibus concedantur.

Tum Provicarius tum Cappellani actu exercitui inservientes ordinariae Vicarii Castrensis potestati subiacent. Cum autem Cappellani omnes propriam dioecesim propriumve Statum perfectionis adsumptione muneris non amittant, a proprio Ordinario revocari poterunt. Ex cumulatione iurisdictionis, insuper, ipsi subiacent quoque potestati Ordinarii loci in quo actu inveniuntur, qui in casibus communiter contingentibus, si quae accidant animadversione digna, Vicario castrensi refert; in casibus vero urgentioribus *et (simul)* quoties Vicarius castrensis providere aut non potuerit aut neglexerit, in culpabiles iure quidem proprio sed devolutivo animadvertit etiam canonicis sanctionibus, si casus ferat, et monito confestim Vicario castrensi [12].

Vicario castrensi omnia competunt in genere, quae Codex Ordinariis locorum reservat, nisi ex rei natura et ex specialibus conditionibus aliquid excipiendum videatur. Ideo ipse debet, ad normam formulae praescriptae [13], triennalem Relationem de actis ac de statu Vicariatus S. Congregationi Consistoriali exhibere.

Potestatem vero iudicialem forma sollemni ipse per se exercere non potest, sed per Tribunal Metropolitanum Mechliniense

---

[11] Cfr. S. C. de Rel., Instr. *Sacrorum Administri*, 2 febr. 1955 (AAS., 47 (1955), pp. 93-97).

[12] Sanctiones militares pro Cappllanis culpabilibus Ordinationes 27 aug. 1927, 29 febr. 1928 praevident in art. X.

[13] S. C. Consist., 20 oct. 1956 (*A.A.S.*, 48 (1956), pp. 150-163). Cfr. Instr. *Sollemne Semper*, n. III; A. Pugliese, Adnotationes (*Monitor Eccl.*, 1957, pp. 585-590).

in prima instantia, per Tribunal dioecesanum Gandavense in altera instantia pertractabit, nulla facta eidem facultate tribunal eligendi, sicut in Vicariatibus Hollandiae et Argentinae.

4. Subditi Vicariatus castrensis erunt:

1) Sacerdotes utriusque cleri, nempe et dioecesani et in Statibus perfectionis professi, qui muneri Cappellani militum pro copiis Belgicis habitualiter deputantur, vel non habitualiter sed tempore quo opem praestant: qua re Sacerdotes extranei, qui *actu* nullum munus explent in favorem copiarum Belgii, nullo modo subiiciuntur iurisdictioni Vicarii castrensis, etsi antea quandoque aliquod id genus officium expleverint. Consequenter, qui *actu* ad officia ministerii castrensis legitime vocantur, eius iurisdictioni subsunt, saltem in illo actu. Ita v. gr. Vicario castrensi subiicitur qui Missam pro militibus qua talibus celebret, ideoque eius praescriptioni stare debet, sive quoad Ordinem Sacri peragendi sive quoad collectas recitandas, aliasque orationes liturgicas perfundendas.

2) Universi Christifideles qui in copiis terrestribus, aëreis, maritimis et a publica tutela (polizia) stipendia faciunt, scil. milites proprie dicti, sive ex servitio permanenti aut ex revocatione ad servitium sive ex professione. Generaliter in aliis Legibus propriis Vicariatuum milites a publica tutela non nominantur.

3) Fideles pariter, sive alicui Statui perfectionis adscripti sive non, qui ob contractum aut famulatum copiis habitualiter addicti sunt; ideo utriusque sexus personae, etsi non militares sed civiles, qui servitio exercitus destinantur. Inde Sorores forte in nosocomio militari, in schola vel academia militari, in carcere militari, cibis parandis et vestibus reficiundis addictae, a Vicario castrensi dependent in iis omnibus in quibus Ordinario loci ex iuris dispositione subiiciuntur. Idem dic, congrua congruis semper referendo, de aliis personis conditionis civilis quoadusque servitio exercitus addicantur.

4) Familiae (uxores, liberi, famuli, propinqui et necessarii) [14], sive militum sive civilium exercitui addictorum, quae extra patrium territorium milites eosdem ac civiles comitantur, ut v. gr. in colonias Belgii vel in territorium a militibus Belgii temporaliter occupatum. Quare, in territorio metropolitano, famillae huiusmodi a iurisdictione Vicarii castrensis, etsi in locis militaribus forte ha-

---

[14] Videsis not. 8 in Adnotationibus ad Vicariatum castrensem Hollandiae.

hitent, subtrahuntur. Inde alia distinctio inter Vicariatum Belgicum et alios Vicariatus.

Porro, omnes isti subditi quoque erunt Cappellani militum, in cuius iurisdictionis limitibus inveniuntur.

5. Provicarius seu Cappellanus Maior muneribus adstringetur et officiis, quae, congrua congruis referendo ex speciali subditorum conditione, ius commune officio Vicarii Generalis adnectit, in provincia dumtaxat administrativa [15].

Ipse proinde erit caput Curiae castrensis, eidemque subiicientur Cancellarius et Notarii Curiae, si adsint; Curia enim castrensis ad instar Curiae dioecesanae organizari et ordinari debet.

Ei insuper erit praecedentia supra omnes subditos Vicariatus.

Denique, ut superius notavimus circa Vicariatus castrenses Hollandiae et Argentinae, ex aperta provocatione ad ius missionarium, Provicarius simul explet munus Vicarii Generalis sede plena et Vicarii Capitularis sede vacante vel impedita. Ideo, nisi aliter Sancta Sedes providerit, ipse regimen Vicariatus castrensis interim, vacante officio, adsumit, usque dum novus Archiepiscopus Mechliniensis sedis possessionem ceperit, potestate nempe Vicarii Capitularis, huius obligationibus obnoxius, praesertim c. 436 [16]. Adsumpto autem officio, ipse debet. S. Congregationem Consistorialem quantocius monere ab eaque instructiones impetrare.

6. Militum Cappellani, sive primae sive secundae classis, animarum sibi commissarum curam gerent muneribus et obligationibus parochorum, ad normam iuris communis et particularis, nempe Instr. *Sollemne Semper* aliorumque Apostolicorum documentorum et praesentis Decreti, quod Legem specialem pro Belgio

---

[15] Ex tenore Decreti apparet non, sicut in aliis Decretis, in potestate Vicarii castrensis esse Provicarium eligere, si eo indiget, quia semper eventuali successioni in regimine providendum est. Verum non negamus posse Vicarium castrensem Provicario potestatem Vicarii Generalis adimere, cum nulla lege obligetur Ordinarius loci ad Vicarium Generalem sibi constituendum. Immo videtur Vicarius castrensis posse Provicarium sede plena tamquam simplicem delegatum habere.

[16] Verum adsimilatio Provicarii ad Vicarium Capitularem non videtur esse identificatio cum eodem. Potius, ius missionarium analogice adplicando, Provicarius sede vacante vel impedita ex officio succedit in regimine, nec eligitur a Coetu Cappellanorum aut a Capitulo ut Vicarius Capitularis, ideoque alio modo ac Vicarius Capitularis regimen Praelaturae nullius personalis adsumit. Adsimilatio igitur est tantum practica, cum eius facultates non sint iure definitae, quia ipse expectare debet adsumpto officio, ulteriores instructiones Apostolicas.

constituit. Ipsi proinde veri parochi personales considerandi sunt, intra limites iuris ecclesiastici militaris. Nulla autem illis indulgetur territorialis potestas in favorem fidelium eorum iurisdictioni non subiectorum, ut fit v. gr. in Vicariatibus Argentinae et Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis. Sed peculiariter eisdem conceditur ut valide et licite audire possint confessiones quorumlibet ad se in locís militaribus accedentium, non secus ac parochi locales in propriis paroeciis. Inde militarium locorum exemptio quodammodo localis esse videtur. Verum, ex verbis Decreti, videtur eisdem ablata esse facultas a Coetu Episcoporum olim concessa audiendi confessiones fidelium in toto Regni territorio. Quam facultatem eisdem, delegatam quidem, iterum concedi posse non est dubium.

Ad competentias matrimoniales quod attinet, etiam pro Cappellanis Belgii viget praescriptio c. 1097 § 2, pro regula, matrimonium celebrandum esse coram parocho sponsae, « nisi iusta causa excuset ». Inde non amplius matrimonia in Belgio parochis localibus reservantur. Quod si agatur de sponsa, quae Cappellano militmu qua parocho subiiciatur, tunc ipse matrimonio adsistit; sin vero, ipse omnia praeparat quoad sponsum, et contrahentes ad parochum sponsae remittit.

AUGUSTINUS PUGLIESE

IV

CIVITATUM FOEDERATARUM AMERICAE SEPTENTRIONALIS

DECRETUM

DE ERECTIONE VICARIATUS CASTRENSIS

Mysticam Petri naviculam tantis undique procellis agitatam, firmiter tamen iugiterque stantem, de plenitudine Apostolicae potestatis moderantes, Romani Pontifices nihil praetermittunt quominus Christifideles per salutis semitam tuto ambulantes confirmentur.

Siquidem in Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis fideles, qui mlitiam capessunt atque illos qui copiis quo-

modolibet addicuntur, sacrorum Antistitum et sacerdotum ope, multis abhinc annis, Catholica Ecclesia sedulo, vigili, paterno prosequitur obtutu.

Hoc vero ministerium, quo normis sacrorum canonum aptius aptiusque componatur et quo iidem fideles privilegiis ac solaciis, Vicariatuum Castrensium propriis, uberius ditentur, SS.mus Dominus Noster Pius Divina Providentia PP. XII, praehabito favorabili voto Exc. P. D. Ioannis Hamleti Cicognani, Archiepiscopi titularis Laodicensis in Phrygia et in Civitatibus Foederatis Amercae Septentrionalis Delegati Apostolici, preces E.mi P. D. Francisci S. R. E. Cardinalis Spellman, Archiepiscopi Neo-Eboracensis et Vicarii Castrensis, erectionem Vicariatus Castrensis enixe postulantis, benigne dignatus est excipere.

Quapropter, de consilio inrascripti Cardinalis Sacrae Congregationis Consistorialis Secretarii, quatenus opus sit eorum interesse habentium consensu, praesenti Consistoriali Decreto, Vicariatum Castrensem Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis erigit atque constituit.

Hac ratione erectus Vicariatus Castrensis constabit: Vicario Castrensi, Auxiliaribus Episcopis quos Apostolica Sedes constituere decreverit, cappellanis delegatis seu maioribus, ubi necesse constitutis, necnon militum cappellanis, seu minoribus.

Sedes huius Vicariatus Castrensis eiusque Curiae — dioecesanae instar constitutae — Neo-Eboraci ponetur.

Vicarii Castrensis munus Archiepiscopo pro tempore Neo-Eboracensi nunc et in futurum per peculiare S. Congregationis Consistorialis Decretum deferetur, qui utramque proinde cumulabit iurisdictionem.

Vicarius Castrensis iurisdictione pollebit personali, ordinaria tum fori interni tum fori externi, speciali et cumulativa cum iurisdictione Ordinariorum locorum ad normam Instructionis De Vicariis Castrensibus *Sollemne semper* a S. Congregatione Consistoriali die 23 mensis Aprilis anni 1951 editae.

In stativis autem castris et in locis militibus reservatis primo et principaliter Vicarius Castrensis iurisdictionem exercebit, secundario, quoties, scilicet, Vicarius Castrensis eiusque cappellani absint vel desint, semper vero iure proprio, Ordi-

narius loci atque parochus, initis — quatenus fas erit — consiliis cum Vicario Castrensi.

Iurisdictioni Vicarii Castrensis subdentur:

1. Sacerdotes saeculares et regulares qui ad munus cappellani militum pro copiis Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis habitualiter vocantur, vel etiam non habitualiter, sed tempore quo opem praestant;

2. Sacerdotes cappellani valetudinariorum vulgo « Veterans Administration Hospitals and Domiciliaries »;

3. Universi Christifideles: qui in copiis terrestribus, aëreis et maritimis actu stipendia faciunt; qui, modo militari instructi, ad easdem copias quomodolibet pertinent; qui, tandem, legibus pro ipsis copiis latis adstringuntur;

4. Fideles qui sub vexillis copiarum vulgo: « Coast Guard », « National Guard », « Air National Guard », « Civil Air Patrol » militant, dummodo vitam communem, modo militari, agant;

5. Familiae eorum qui sub n. 3 recensentur, id est: uxores, liberi, famuli, propinqui et necessarii, qui in patrio territorio cum iisdem habitualiter cohabitant vel extra patriam ipsos quomodolibet comitantur; familia pariter catholica militis etsi acatholici, quae in iisdem versatur adiunctis;

6. Omnes utriusque sexus fideles, sive alicui Religioni adscripti sive non, qui nosocomiis, scholis militaribus, memoratis valetudinariis seu « Veterans Administration Hospitals and Domiciliaries » addicuntur, ibique commorantur;

7. Omnes utriusque sexus fideles qui in copiarum stationibus vel in domibus a Gubernio civili copiis militumque familiis reservatis cohabitant.

Cum vero in Dicione Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis, praesertim in dissitis locis, militum quaedam stationes ad instar pagorum efformatae sint, ubi domus, quas cum sua quisque familia milites inhabitant, cumque Ordinarius loci spirituali animarum curae per parochum aut missionarium aut quemlibet alium sacerdotem providere ibi non possit et illuc sive gravi incommodo accedere nequeat, indulget Sanctitas Sua ut iurisdictioni personali Vicarii Castrensis omnes et singuli in praedictis pagis commorantes subiiciantur usque

dum praedicta adiuncta perseverent, certiore facto Ordinario loci in peculiaribus casibus.

Cappellanos omnes sive maiores sive minores, servatis servandis, Vicarius Castrensis nominat, cuius ordinariae potestati — durante munere — omnino subiacebunt. Quoad ecclesiasticam disciplinam tamen, militum cappellani potestati quoque Ordinarii loci in quo versari contingat obnoxii erunt, cui, in casibus urgentioribus et quoties Vicarius Castrensis providere non poterit, fas erit in eos animadvertere etiam canonicis sanctionibus, si casus ferat, et monito confestim Vicario Castrensi.

Quod ad militum cappellanos religiosos attinet, adamussim servetur Instructio *De cappellanis militum religiosis* a S. Congregatione negotiis Religiosorum sodalium praeposita die 2 mensis Februarii anni 1955 edita.

Auxiliares Vicariatus Castrensis muneribus et officiis adstringentur quibus Auxiliares Episcoporum Codice I. C. ligantur.

Cappellanis delegatis seu maioribus, ad subditos rite regendos ipsorum curae concreditos, munia conferuntur quae — congrua congruis referendo — officio Vicarii Generalis Codex I. C. adnectit.

Militum vero cappellani animarum sibi commissarum curam gerent muneribus et obligationibus parochorum ad normam Instructionis De Vicariis Castrensibus quam supra memoravimus.

Episcopi Auxiliares atque cappellani maiores et minores, valide et licite, audire possunt confessiones quorumlibet ad se accedentium in locis militibus reservatis.

Ad matrimonium quod attinet subditorum Vicariatus Castrensis, districte servetur praescriptum canonis 1097, § 2 C. I. C., id est « pro regula habeatur ut matrimonium coram sponsae parocho celebretur, nisi iusta causa excuset » et accurate expleantur actus qui, ad normam iuris communis, celebrationem matrimonii praecedere et subsequi debent.

Causas subditorum Vicariatus Castrensis Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis, sive contentiosas inter ipsos, sive criminales Tribunal metropolitanum archidioecesis Neo-Eboracensis in prima instantia, metropolitanum archidioecesis Philadelphiensis in altera instantia pertractabit.

Vicarius Casrtensis Relationem de statu Vicariatus Castrensis singulis trienniis Apostolicae Sedi exhibebit, quaesitis respondens iuxta ea quae in « Formula Servanda » praescribuntur a S. Congregatione Consistoriali die 20 mensis Octobris anni 1956 statuta.

Vacante Officio Vicarii Castrensis, nisi Sancta Sedes aliter providerit, regimen Vicariatus Castrensis — usque dum novus Archiepiscopus Neo-Eboracensis sedis possessionem ceperit — penes Auxiliarem, aut si defuerit penes cappellanum maiorem seu delegatum, ad normam canonis 106, 3° C. I. C., seniorem esto.

Qui autem Vicariatus Castrensis regimen tunc susceperit omnes et solas facultates habebit quae — congrua congruis referendo — Vicario Capitulari competunt, eiusdemque obligationibus obnoxius erit. Ipsius praesertim erit assumpto munere S. Congrgationem Consistorialem monere ab eaque instructiones impetrare.

Ad haec exsecutioni mandanda Sanctitas Sua memoratum Exc. P. D. Ioannem Hamletum Cicognani deputare dignata est, necessarias et opportunas ei tribuens facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, et onere imposito ad S. Congregationem Consistorialem quamprimum transmittendi authenticum exemplar actus peractae exsecutionis.

Quibus super rebus praesens edi iussit Consistoriale Decretum, perinde valiturum ac si Apostolicae sub plumbo Litterae expeditae fuissent.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis Consistorialis die VII Septembris MCMLVII in Nativitate Beatae Mariae Virginis.

+ Fr. A. I. Card. PIAZZA, Ep. Sabinen. et Mandelen., *a Secretis.*

L. + S.

Iosephus Ferretto, *Adsessor*

(*A.A.S.*, vol. 49, pp. 970-973).

ADNOTATIONES

1. In Statibus Foederatis Americae Septentrionalis Concilia Baltimorensia, sicut in coeteris ecclesiasticis negotiis, etiam in hoc novae legislationis principia et fundamenta iecerat [1]. Sed, supervenientibus diversi generis difficultatibus, fere nihil, ad praxim quod attinet, factum fuerat cum Status Foederati in magnum bellum a. 1914-1918 intervenerunt. Tunc Episcopatus catholicus pulsans problema vere persentiit et ad instar dispositionum quae pro Anglia a S. Congregatione de Propaganda Fide die 15 maii 1906 datae erant [2], *Secretariam* seu *Officium Centrale* constituit quod quidquid Cappellanos militum concernebat, decideret ordinaretque, veluti emanatio generalis delegationis a Coetu Archiepiscoporum (*Board of Archbishops*) concessae.

Ita militum Cappellani, annuente Apostolica Sede, subtracti quodammodo sunt a iurisdictione Ordinariorum locorum et Episcopo seu Ordinario castrensi subiecti [3]. Ipsi autem, ex urbanitate, Ordinarios locales visitare debebant vel ab eis scripto petere ut *licite* possent in respectivis dioecesibus proprias facultates exercere .Universum territorium in diversas sectiones seu vicariatus distributum erat, quibus totidem providebant Vicarii Generales, munus suum sub auctoritate Ordinarii militaris exercentes.

Nulla in Civitatibus Foederatis fit officialis distinctio, ad Statum quod attinet, inter Cappellanos catholicos et aliarum confessionum administros. Cuilibet cohorti (reggimento) adiungitur Cappellanus officialis, qui, sine praeiudicio propriae confessionis, se praesto esse debet, si requiratur, etiam militibus aliarum confessionum. Et casus dari potest quod minister alius confessionis (ut puta, protestanticae vel israëliticae) habeat sub se, disciplina militari, etiam Cappellanos catholicos.

Revera, a. 1914 ex 67 Cappellanis officialibus in exercitu terrestri tantum 16 catholici erant. Eodem anno Cappellani officiales pro copiis maritimis ad numerum 52 elevati sunt. At postulantibus militibus permittebatur ut ministri singularum confessionum ministerium suum veluti officiose exercerent. Sed a. 1942 Pius XII f. r. curam castrensem sub Archiepiscopo Neo-Eboracensi iterum ordinavit [4], qui totum regimen ecclesiasticum militare per

---

[1] Cfr. Conc. Baltimorense I (1852), c. 96; et II (1868), cc. 401-402.

[2] *Collect. S. C. de Prop. Fide*, II, 1907, n. 2234.

[3] C. Augustine, *A Commentary*, II, p. 512; U. Beste, *Introductio in Codicem*, Collegeville, 1946, p. 290.

[4] Epistola *Exponendum Nobis*, 8 maii 1942 (*A.A.S.*, 34 (1942), pp. 221-222).

duos Episcopos Auxiliares et per Vicarium Generalem teneret [5].

2. Rebus sic stantibus, S. Congregationis Consistorialis Decreto *Mysticam Petri Naviculam*, 8 sept. 1957 [6], Pius XII f. r., ad preces E.mi Card. Spellman, Archiepiscopi Neo-Eboracensis et Vicarii castrensis, benigne susceptas, *Vicariatum castrensem Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis* erigere atque constituere dignatus est.

Sicut in coeteris simillibus erectionibus, praeambulum Decreti sollicitam Romanorum Pontificum curam pro adsistentia spirituali militibus catholicis praestanda in genere et in specie paucis verbis, sed perbelle, demonstrat, et reordinationem, quam totius negotii pro Statibus Foederatis Americae Septentrionalis intendit, ut necessariam et utilem novo iuri ecclesiastico militari accommodationem ostendit, tu uberiores fructus salutis inde fideles, qui militiam capessunt aut quomodolibet copiis addicuntur, cum spirituali profectu derivare possint.

3. Sedes huius Vicariatus castrensis eiusque Curiae Neo-Eboraci figitur. In pluribus Vicariatibus, ut iam vidimus [7], sedes in Metropoli principali ponitur.

Vicariatus ipse castrensis ita in Lege propria ordinatur, ut constet:

1) *Vicario castrensi*, cuius munus Archiepiscopo pro tempore Neo-Eboracensi concreditur, qui, proinde, utramque cumulabit iurisdictionem, scil. et Archiepiscopi metropolitani et Vicarii castrensis.

2) *Auxiliaribus Episcopis*, quos Apostolica Sedes constituere decreverit (cfr. c. 350 § 1) — ideo numero indeterminato —; sed praevidetur quod nullus quandoque esse possit Episcopus Auxiliaris. Isti Auxiliares, si adsint, muneribus et officiis adstringuntur, quibus Auxiliares Episcoporum iure communi ligantur (cc. 350-355): eorum nempe iura in genere desumuntur ex litteris Apostolicis, quibus constituuntur (c. 351 § 1); in specie vero, ex iure communi ipsi adiuvant Vicarium castrensem in omnibus, in quibus ille eorum operam requiret (cc. 351 § 2-3, 352), sive in pontificalibus aliisque sacris functionibus obeundis (c. 351 § 4) sive in aliis negotiis regiminis. Neque possunt a Vicariatu, extra tempus

---

[5] Cfr. *Annuario Pontificio* 1957, p. 376. Verum, in novo *Annuario Pontificio* 1958 nulla fit amplius mentio Vicarii Generalis (cfr. p. 833).

[6] *A.A.S.*, 49 (1957), pp. 970-973.

[7] Videsis not. 1 in Adnotationibus ad Vicariatum castrensem Hollandiae.

vacationum, discedere, nisi ad breve tempus et Vicario permittente (c. 354).

3) *Cappellanis delegatis seu Maioribus,* ubi necesse constitutis: quibus ad subditos rite regendos ipsorum curae concreditos, munia conferuntur quae, congrua congruis referendo, officio Vicarii Generalis ius commune adnectit. Verum, ex nomine arguendo, suspicari potest utrum potestas eorumdem, qua talium, sit ordinaria an delegata ad universalitatem causarum, eo vel magis quod in coeteris Vicariatibus plerumque potestas Cappellanorum Maiorum sit delegata. Id autem non impedit quominus aliquis ex iis possit ad dignitatem veri Vicarii Generalis evehi cum potestate ordinaria et cum praecedentia supra omnes subditos Vicariatus. Cappellanorum delegatorum numerus non determinatur. Verum, si adhuc conservetur distributio totius territorii statualis in diversas sectiones, putamus cuilibet sectioni praeficiendum esse Cappellanum delegatum.

4) *Cappellanis militum seu minoribus.*

Curia autem Vicariatus ad instar Coriae diocesanae ordinanda est (cc. 363 et ss.). Eidem Vicarius castrensis adgregare potest quotquot Sacerdotes et officiales, quos necessarios retinet pro actis conficiendis, exsequendis, conservandis et pro muneribus exercendis. Eidem praesidet Vicarius Generalis, si adsit; secus, Cappellanus delegatus cui ius inest praecedentiae prae aliis. Ad eam pertinent Cancellarius, examinatores, consultores et notarii.

Cum exercitium potestatis iudicialis sive contentiosae sive criminalis Vicario castrensi, qua tali, praesenti Decreto et Instr. *Sollemne Semper* interdicatur, sectio iudicialis in Curia castrensi non habetur, ideoque nullus Officialis, Promotor iustitiae, Defensor vinculi, etc. Eius igitur activitas in re administrativa tantum religata manet.

4. Castrensis iurisdictio ecclesiastica etiam in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis normas communes iuris ecclesiastici militaris sequitur, ad sensum Instr. *Sollemne Semper,* 23 apr. 1951, Lege hac propria integratae.

Ipsa, proinde, sive in Vicario castrensi, sive in Cappellanis, respective, erit, natura sua, personalis, ordinaria tum fori interni tum fori externi, vicaria, specialis et cumulativa cum iurisdictione Ordinariorum locorum.

Inde solita distinctio inter loca militaria et non militaria; inter exercitium iurisdictionis modo primario et principali et exercitium eiusdem modo secundario sed iure proprio et devolutivo.

Verum, ipsa, in linea cum aliis iurisdictionibus castrensibus,

limitatur quoad negotia, et prae aliis, extenditur sive quoad personas sive quoad loca.

Limitatio communis in iure ecclesiastico militari habetur tum quoad exercitium sollemne potestatis iudicialis tum quoad munus pastorale parochorum adsistendi matrimoniis subditorum eaque benedicendi.

Siquidem, Vicariatus castrensis proprium tribunal non habet sed causas subditorum sive contentiosas sive criminales Tribunali metropolitano Neo-Eboracensi in prima instantia, Tribunali metropolitano Philadelphiensi in altero iudicii gradu cognoscendas et dirimendas committet. Non putamus Vicariatui castrensi ablatam esse totam provinciam iurisdictionis iudicialis; sed in sollemni eiusdem exercitio Vicarius castrensis uti tenetur ministerio determinatorum tribunalium, quae eidem iure adsignantur, dum in quibusdam aliis Vicariatibus ipse Vicarius, semel pro semper, tribunalia pro causis sui Vicariatus seliget [8]. Verum, hic Vicarius castrensis idem est ac Archiepiscopus Neo-Eboracensis et incongruum videretur ut ipse diversa tribunalia seligeret ac illa suae Archidiocesi propria [9].

Etsi in iure ecclesiastico militari recognoscantur Cappellanis potestates parochorum personalium, ad praescriptum c. 1097 § 2 materia matrimonialis tractanda esse edicitur. Nam maior pars subditorum Vicariatus castrensis evidenter erit masculini sexus et ex iis qui feminini sexus reperiantur, excludendae sunt Religiosae quae servitio copiarum quandoque addicuntur. Quapropter, ne turbetur disciplina quoad uniformitatem in iure communi statutam, ponitur limitatio: « pro regula habeatur ut matrimonium coram sponsae parocho celebretur, nisi iusta causa excuset ». Proinde, Vicarius castrensis eiusque Cappellani, pro sua quisque sphaera iurisdictionis, valide et licite adsistunt matrimoniis in quibus sponsa eorum iurisdictioni pertineat, immo etiam matrimoniis in quibus sponsa non sit catholica aut non sit eiusdem ritus catholici ac vir; secus, adsistere possunt tantummodo « si iusta causa excusat ». Porro, in iure canonico quaelibet causa, quae non sit evidenter iniusta aut damnosa aut negotio non proportionata, erit iusta causa.

Extensio iurisdictionis Vicarii castrensis quoad personas ex elencho subditorum Vicariatus, quem praebet praesens Decretum, desumitur. Siquidem, ad Vicariatum pertinent:

1) Cappellani militum sive dioecesani sive in Statibus per-

---

[8] Cfr. Instr. *Sollemne Semper*, n. III.

[9] Cfr. quae dicuntur n. 3 quoad Vicariatum castrensem Belgii.

fectionis professi; et omnes Sacerdotes utriusque cleri qui *actu* munus sacrum in favorem militum explent eo tempore quo opem praestant; immo, etiam Cappellani valetudinariorum pro veteranis militibus et pensionariis.

2) Omnes milites catholici et omnes fideles utriusque sexus qui servitio copiarum addicuntur, sub militari regimine, quamvis sint ipsi civilis conditionis, eorumque familiae (uxores, liberi, famuli ,propinqui et necessarii) [10], quae in patrio territorio cum iisdem habitualiter cohabitant vel extra patriam ipsos quomodolibet comitantur. Quodsi militis acatholici familia erit catholica vel saltem catholicum erit membrum illius, pars catholica reputatur iurisdictionis esse Vicariatus. Ad id sufficit ut familiae in domibus, etiam extra castra proprie dicta, a Gubernio civili copiis militumque familiis adsignatis, cum persona militari vel militaribus officiis addicta habitent.

3) Omnes fideles qui sub vexillis copiarum vulgo *Coast Guard, National Guard, Air National Guard, Civil Air Patrol* militant, dummodo vitam communem, modo militari, agant [11].

4) Omnes utriusque sexus fideles, sive in aliquo perfectionis Statu professi, sive civiles, qui nosocomiis, scholis militaribus, valetudinariis pro veteranis et pensionariis aliisque militaribus institutis addicuntur, ibique commorantur. Inde sorores, si quae sint, cibis parandis et vestibus reficiundis destinatae, in servitio nosocomii aut scholae aut carceris militaris aliusque id genus instituti, in iis omnibus in quibus subiiciuntur Ordinario loci, v. gr. quoad nominationem Cappellani et Confessarii, quoad sacellum internum communitatis, etc. in ipsis Vicario castrensi subditae esse debent. Ex dictis iam patet quam large extendatur iurisdictio militaris americana relate ad subditos.

Extensio, denique, potestatis Vicarii castrensis americani quoad loca ex specialibus adiunctis contingentibus, in quibus milites eorumque Cappellani versari poterunt, dependet. Geographicae enim conditiones ingentis territorii Status non semper eaedem sunt, et habentur regiones in quibus pauci omnino sunt inhabitantes, puta, in Alaska, et pagi longe distant inter se. Quandoque militum praesidia ac instar pagorum constituta sunt, et ipsi milites cum eorum

---

[10] Videsis not. 8 in Adnotationibus ad Vicariatum castrensem Hollandiae.

[11] Sunt totidem speciales sectiones autonomae ad marginem copiarum proprie dictarum, quarum munus est vigilare, sive tempore belli sive tempore pacis, contra quamlibet rerum subversionem sive internam sive externam. Etsi non constituantur ex militibus proprie dictis, disciplinae militari adgregantur, ut gr. *i Vigili del fuoco, la Polizia, la Finanza,* in Italia.

familiis domus inhabitant quae prope sunt aliis domibus in quibus nonnulli civiles vivunt. Spiritualibus proinde necessitatibus huiusmodi inhabitantium sive militarium sive civilium occurrens, Lex ista propria statuit ut, sicubi contingat quod Ordinarius loci, neque per se neque per parochum, aut missionarium aut alium quemcumque Sacerdotem, huiusmodi civilium spirituali curae providere possit, auctoritate Sanctae Sedis, civiles ipsi, ad tempus indeterminatum, personali iurisdictioni Vicarii castrensis et militum Cappellanorum subiiciantur, certiore facto Ordinario loci in peculiaribus casibus. Ita Cappellani substantialiter manent quidem parochi personales militum, sed fiunt quoque, etsi per accidens, veri parochi locales, ad modum vicarii substituti, eorum nempe qui in pago militari vel in viciniis seu in districtu determinati praesidii militaris actu vivunt. Quae conditio revera statuitur ut uterque clerus, et dioecesanus et castrensis, mutuum auxilium sibi invicem praestet et amico foedere in pastorali ministerio exercendo procedat. Evidenter hinc innuitur quod Ordinarius loci et Vicarius castrensis debeant, collatis consiliis, haec loca, ad praxim quod attinet, saltem generice determinare. In peculiaribus autem casibus militum Cappellanus spiritualem curam civilium in loco ubi nullus alius Sacerdos reperiatur adsumat et rem deferat Vicario castrensi, cuius erit eiusmodi notitiam Ordinario loci communicare [12].

E converso, si quod praesidium manipulumve militum absque Cappellano inveniatur, sub iurisdictione Ordinarii loci et parochi localis manet, saltem ex principio generali cumulationis iurisdictionis: quibus, servatis servandis, inest pastoralis eorum sollicitudo [13].

5. Potestates Vicarii castrensis in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis eaedem sunt ac coeterorum Vicariorum castrensium, ad normam Instr. *Sollemne Semper,* hac Lege propria integratae.

Etenim Vicarius castrensis nominat Cappellanos omnes sive Maiores sive minores. Sicuti in coeteris Vicariatibus castrensibus, ipse petit ab omnibus Ordinariis sive locorum sive religiosorum ut ei praesentent Sacerdotes bonos et ad tantum opus aptos, inter praesentatos seliget Cappellanos eisque singulis adsignat munus in determinata parte copiarum exercendum cum iurisdictione ordina-

---

[12] Ita v. gr. statutum fuerat in Lege propria Vicariatus castrensis in Ditione Canadensi (cfr. Decretum *Materna Ecclesiae*, 17 febr. 1951 (*A.A.S.*, 43 (1951), pp. 447-449). Cfr. A. Pugliese, *Adnotationes* (*Monitor Ecclesiasticus*, 1952, pp. 193-196).

[13] Cfr. quae superius n. 7 dicuntur de Vicariatu castrensi Argentinae.

ria parochorum personalium in subditos, et simul providet ut a competenti civili Dicasterio singulis conferantur gradus militares et ius ad congruens stipendium percipiendum [14]. In nominandis Sacerdotibus, qui professionem in aliquo perfectionis Statu emiserunt, ei observandae quoque erunt praescriptiones a S. Congregatione de Religiosis emanatae [15].

Insuper, obligatur Vicarius castrensis americanus ad triennalem Relatiionem de actis ac de statu Vicariatus castrensis, iuxta praescriptam formulam [16] conficiendam et Sedi Apostolicae, scil. S. Congregationi Consistoriali exhibendam.

De coetero, Vicarius castrensis potest conficere « Ordinem Divini Officii recitandi Sacrique peragendi » [17]; facultates quinquennales, necnon decennales in locis ubi concedi solent, ut coeteri Ordinarii locorum, obtinere potest [18]; sub datis conditionibus potest Sacrificium Missae applicare et Cappellanis imponere ut et ipsi applicent saltem diebus c. 306 pro Vicariis et Praefectis Apostolicis statutis [19]; attente invigilare debet in disciplinam ecclesiasticam sui cleri et populi, eorum vitam spiritualem, eorumque culturam pro posse fovere, modalitates circa ordinationem Curiae, quasiparoeciae militaris, archivorum, documentorumque, ad uniformitatem dumtaxat servandam, praescribere; peculiares normas boni regiminis pro suis clericis statuere; litteras testimoniales sive ad ingrediendum Statum perfectionis sive ad Ordines recipiendos suis, saltem olim, subditis concedere potest [20], necnon et litteras ad statum liberum comprobandum eorum qui ad matrimonium accedunt. Paucis verbis, quidquid officium Ordinarii loci in iure communi requirit, illud, congrua congruis referendo, etiam officium Vicarii castrensis concernit.

---

[14] « Meminerint Episcopi animarum Pastores, tunc pastoralis ministerii opus impleri, si Vicario castrensi libenter praesentare ac concedere velint nonnullos sibi subiectos sacerdotes, aptis quidem virtutibus exornatos, quibus ille rite exercere valeat spiritualem militum curam, quos inter unicuique Praesuli nonnullas oves de concredito sibi grege annumerare fas erit » (ex Ep ad Episcopatum Hispanicum *Divinum persequens mandatum*, 2 iun. 1951; *AAS.*, 43 (1951), pp. 565-566). Cfr. A. Pugliese, *Adnotationes* (*Monitor Ecclesiasticus*, 1951, pp. 597-598).

[15] Cfr. Instr. *Sacrorum Administri*, 2 febr. 1955 (*A.A.S.*, 47 (1955), pp. 93-97).

[16] Cfr. *Formulam Servandam*, 20 oct. 1956 (*A.A.S.*, 48 (1956), pp. 150-163); Instr. *Sollemne Semper*, n. IX.

[17] Cfr. Instr. *Sollemne Semper*, n. VII.

[18] Cfr. Instr. *Sollemne Semper*, n. VIII.

[19] Ibid. n. XI.

[20] Ibid., n. XVIII.

Sicut eius iurisdictio cumulativa est, ita etiam eius coactiva potestas supra Cappellanos omnes. Nam, etsi Cappellani, durante munere, potestati ordinariae Vicarii castrensis omnino subiaceant, quoad ecclesiasticam disciplinam obnoxii quoque sunt Ordinario loci in quo versantur, sive ratione boni publici bonique regiminis, sive ratione muneris sacerdotalis. Qui tamen Ordinarius loci, non secus ac statuitur pro aliis Vicariatibus castrensibus, in Cappellanos militum americanos animadvertere potest tantum in casibus urgentioribus. Quare, in casibus communiter contingentibus Ordinarius loci Cappellanum militum non recte agentem Vicario castrensi denunciat, ex analogia cum iure religiosorum (c. 616 § 2). Quod si hic non providerit, tunc, iure devolutivo sed proprio, seu propria auctoritate, Ordinarius loci delinquentem puniat. In adiunctis vero extraordinariis seu in casibus urgentioribus, ipse Ordinarius loci poenas in Cappellanum infligere potest, monito confestim Vicario castrensi. Logice quidem et consequenter ad ea quae dicuntur de exercitio primario et secundario iurisdictionis. Nam Ordinarius loci iurisdictionem in Cappellanos tantum secundario loco exercet et sub certis conditionibus in Lege propria expressis.

6. Munus Cappellani militum americani est antonomastice pastorale.

Praeprimis Cappellanus militum, adsumptione muneris, propriam dioecesim propriumve perfectionis Statum non amittit et semper potest a proprio Ordinario revocari (c. 144). Immo, Cappellani militum in aliquo perfectionis Statu professi ad nutum manent sive Vicarii castrensis sive Superioris nec ad tempus ultra quinquennium in munere costitui possunt, renovato secundo quovis anno Superiorum religiosorum consensu [21].

Durante munere, Cappellanus animarum sibi commissarum curam gerita cum muneribus et obligationibus parochorum, congru semper congruis referendo [22]. Eius iurisdictio, non secus ac iurisdictio Vicarii castrensis, est ordinaria, personalis, et specialis, et, quatenus localis, cumulativa cum iurisdictione parochorum localium; primaria insuper in locis militaribus et pro functionibus pro militibus ab auctoritate militari indictis; secundaria in locis non militaribus et pro functionibus ab alia auctoritate indictis.

Est igitur Cappellanus militum americanus verus parochus personalis relate ad subditos proprie dictos; quoad vero civiles copiis non addictos, est veluti substitutus (c. 474). Eius tamen quasi-

---

[21] Cfr. Instr. *Sacrorum Administri*, art. I n. 2; art. III, n. 1-2.
[22] Cfr. Instr. *Sollemne Semper*, n. X; cc. 464 et ss.

munus paroeciale ecclesiasticum beneficium non est ideoque effectus c. 114 non producit [23].

De ceteris obligationibus, quae, ad normam Instr. *Sollemne Semper* hac Lege propria integratae, etiam Cappellanum militum americanum concernunt, iam fuse diximus in commentariis ad Decreta erectionis aliorum Vicariatuum castrensium.

Cum, denique, Cappellanorum subditi in territorio Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis non sint tantum milites vel civiles qui copiis proprie addicuntur, sed etiam horum familiae, immo et ii quoque qui in locis et pagis militaribus vivunt, competentia matrimonialis eorum quandoque completa est et quandoque incompleta, subiecta nempe praescripto c. 1097 § 2, iuxta ea quae superius pluries diximus. Semper tamen Cappellani est ea omnia parare quae matrimonii celebrationem praecedunt aut subsequuntur.

Tandem, Episcopi Auxiliares atque Cappellani Maiores et minores, valide et licite, audire possunt confessiones quorumlibet ad se accedentium in locis militibus reservatis: inde aliqualis exemptio localis quoad loca militaria.

7. Successio in regimine Vicariatus peculiarem formam huius iurisdictionis militaris sequitur, Lege hac propria firmatam.

Equidem, vacante munere Vicarii castrensis consequenter ad vacationem Sedis Neo-Eboracensis, scinditur praeprimis unio personalis inter Vicariatum et Archidioecesim, et ab officio cessat Vicarius Generalis Vicariatus, si adsit. Interim autem regimen Vicariatus adsumit ex officio Auxiliaris Episcopus vel senior in munere inter eos, si plures sint. Deficiente vero Auxiliare, senior Cappellanus Maior seu delegatus subintrat non quidem ex officio, sed veluti delegatus a iure (cfr. c. 309 § 4).

Omnes qui interim succedunt, ex officio vel a iure delegati, censendi sunt Vicariatum regere tamquam si essent Vicarii Capitulares, congrua congruis referendo, cum omnes et solas facultates habebunt omnibusque obligationibus obnoxii erunt quae ius commune Vicario Capitulari tribuit. Quod, plus minusve, commune est in Vicariatibus erectionis recentioris. Sed adsimilatio ad Vicarium Capitularem non est identificatio cum eodem. Ideo dicitur in Lege hac propria: « congrua congruis referendo ». Nam succedentes neque a Capitulo vel alio ecclesiastico Coetu eliguntur, neque tantum facultatibus Vicarii Capitularis forte indigent, attenta speciali conditione Vicariatus. Quare ipsis gravis inest obligatio de as-

[23] Cfr. A. Pugliese, op. cit. p. 138.

sumpto munere S. Congregationem Consistorialem quantocius monere ab eaque peculiares instructiones impetrare.

8. Ad conclusionem tandem aliquando devenientes, notamus praeprimis characteres generales omnium Vicariatuum castrensium sibi invicem in novo iure ecclesiastico militari respondere.

Est igitur tamquam omnium fundamentum Instructio *Sollemne Semper*, quae, ab Instructione *Sacrorum Administri* circa Cappellanos qui in Statu aliquo perfectionis professi sunt integrata, merito dici potest *Codex curae castrensis*, quippe quae ius commune ecclesiasticum militare efformet [24].

Ita quoad naturam iurisdictionis castrensis, quoad eius exercitium, quoad munus Cappellanorum quasi-paroeciale, quod organizationem et ordinationem quasi-Praelaturae nullius militaris eiusque Curiae, etc.

Differt tamen Vicariatus a Vicariatu in peculiaribus, ut conditionibus spectalibus Status et consuetudinibus et singularibus adiuntis sese accommodet, iuxta Legem singulis propriam. Ita quoad coniunctionem cum sede Metropoleos principalis in Statu in persona Praesulis, quoad extensonem aut limitationem exercitii iurisdictionis, quoad organizationem personalem, quoad successionem in regimine, etc.

Notetur denique aperta provocatio ad ius missionarium ex analogia inter utrumque ius, missionarium scil. et militare, exsistente.

Tandem, quandoque, Vicariatus ipse est effectus expressae conventionis internationalis inter Ecclesiam et Statum (cfr. c. 451 § 3), quandoque e contra videtur actus unilateralis Romani Pontificis, qui, non contradicente Statu, ad preces Episcoporum determinati Status et ex plenitudine Suae potestatis, pastoralem Ecclesiae sollicitudinem erga spiritualem profectum fidelium, qui militiam capessunt vel quomodolibet inter milites actu inveniuntur, ita aperte demonstrat.

AUGUSTINUS PUGLIESE

---

[24] Cfr. A. PUGLIESE, op. cit. p. 121.

SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

INSTRUCTIO

De coeducatione

Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, eo semper ducta studio, ut religiosos et religiosas, in variis ipsorum muneribus obeundis, confirmaret adiuvaretque, de Augusti Pontificis mandato, perplexam questionem de iuvenum utriuqsque sexus promiscua institutione, seu « coeducatione », diligentius pertractandam sategit

Postquam ergo Apostolicae Sedis Legatos, iis in regionibus degentes, quarum res maxime interest, consuluit, idem Sacrum Consilium, Summi Pontificis mandato obsecutum, Coetum egit « Plenarium mixtum », quo penitius et accuratius quaestio enodaretur; cui Coetui Plenario, eodem hoc Sacro Consilio moderante, interfuerunt delecti viri Sacrarum Congregationum Consistorialis, pro Ecclesia Orientali, Concilii, de Propaganda Fide, de Seminariis studiorumque Universitatibus.

Animadversiones autem, vota hortationesque in unum congesta, ab infrascripto Cardinali Praefecto huius Sacrae Congregationis Augusto Pontifici, in Audientia diei 5 Martii 1937, subiecta sunt ut ea probare dignaretur. Sanctitas vero Sua omnia rata habere et confirmare dignata est; atque conclusiones, non solum a religiosis sed ob omnibus quorum interest rite fideliterque servandas, ab hoc Sacro Consilio, praesentis Instructionis forma et tenore, publici iuris fieri mandavit.

Hae autem in tres partes distributae sunt, quarum diversa haec sunt capita: 1. Principia; 2. Normae; 3. Cautiones.

1. Principia, vel primariae rationes et quasi fundamenta proponuntur, quibus recte iudicari possit de « coeducatione », sive ad theoricen, sive ad praxim quod attinet.

2. Normae, quae obligandi vim obtinent, prae oculis haberi et servari debent omnibus et singulis in casibus, in quibus « coeducatio », propter peculiaria rerum adiuncta, necessaria videatur.

3. Cautiones hic recensitae ita suadentur ut principia et impertitas normas compleant; atque adhiberi poterunt tam-

quam ea ratione propositae, ut singulis in casibus lumen de agendi modo praebeant.

« De « coeducationis » argumento hic disseritur dumtaxat prout ad scholas secundi ordinis spectat; nam in studiorum Universitatibus haec res non agitur, et, quod ad ludos litterarios, seu in quibus litterarum elementa traduntur, attinet, Ordinariis data est facultas tempus definiendi, quo pueri et puellae in huiusmodi scholis simul institui possint.

I - Principia

1. « Coeducatio », quae proprie vereque dicitur, generali modo et per se probari nequit.

2. Quamvis nonnulla commoda proficisci possint a « coeducatione », quae quidem probae vitae familiaris sit quasi continuatio, quaque utriusque sexus iuvenes, necessitudine quadam modeste se attingentes, et nobili veluti certamine inter se contendentes, ad egregia et praeclara excitentur et se invicem compleant, tamen, si res definite et in vitae usu consideretur, scilicet prout haec instituendi ratio fieri solet, pericula morum, quae in ea insunt — maxime pubertatis tempore — sine ulla dubitatione longe maiora sunt quam commoda, quae inde forsitan percipiantur.

3. Itaque Litterae Encyclicae « Divini Illius Magistri » habendae semper sunt veluti « Magna Charta », quod ad educationem et promiscuam hanc instituendi rationem pertinet; sic enim ibi praescritpum est: « fallax atque christianae institutioni infensa illa adolescentes instruendi ratio habenda est, quam vulgo coeducationem appellant; eorum enim qui ipsam tuentur, bene multi idcirco tuentur quia aut non considerant aut negant protoparentum labe vitiatum nasci hominem; plerique vero omnes, quia tali notionum pertubatione laborant ut legitimum hominum convictum habeant quas quemdam virorum ac feminarum omnibus plane rationibus parium inconditum acervum... ». (*A.A.S.*, 1930, p. 72).

4. Verumtamen infitiandum non est, quibusdam in casibus, necessitatem practicam iuvenes simul promiscueque educandi devitari non posse, cum peculiaria omnino rerum locorumque habeantur adiuncta, quibus efficitur ut « coeducatio » minus malum sit existimandum.

5. Negandum enim non est quibusdam in regionibus, iuvenes publicas scholas obeuntes in gravi periculo Fidei versari.

Catholicis vero — numero paucioribus — non semper copia est scholas pro pueris et puellis seiunctas aedificandi eiusque necessarias opes suppeditandi; ita enim expensae iis duplicandae essent, qui interdum vix unam scholam catholicam exstruere et alere possunt.

Iuvenes ergo reapse coguntur:

a) aut scholas publicas adire, in quibus promiscue, nulla habita ratione religionis, instituuntur, magno cum discrimine Fidei morumque;

b) aut scholas catholicas promiscuas frequentare, ubi Fidei periculum nullum impendet atque, certis adhibitis cautionibus, magna pars periculorum quoad mores prohiberi potest.

6. Si scholae catholicae promiscuae, secundum ea, quae supra dicta sunt (cfr. n. 5), cautionibus utique servatis, habeantur, « coeducatio » etiam ad normam Litterarum Encyclicarum « Divini Illius Magistri » videtur tolerari posse, quoniam ad huiusmodi scholarum doctores haec manifesto non pertinent verba: « non considerant aut negant protoparentum labe vitiatum nasci hominem, plerique vero omnes, quia tali notionum perturbatione laborant ut legitimum hominum convictum habeant quasi quemdam virorum ac feminarum omnibus plane rationibus parium inconditum acervum » (l. c.).

II - Normae

7. Sicubi « coeducatio » reapse tolerari necesse sit, normae certae oportet impertiantur, ut pericula morum ex hac instruendi ratione forte oritura praepediantur.

8. Sedes Apostolica suadet vel favendo provehit educandi rationem quae « coinstitutio » vulgo appellatur, secundum quam unum habetur Institutum vel aedificium, duabus instructum scholis pro pueris et puellis seiunctis, uni moderationi obnoxium, communi praeditum bibliotheca communique conclavium ordine naturalibus disciplinis exercendis, ad quas separatim horisque diversis pueris et puellis pateat aditus. Hoc

enim modo fiet ut sumptus valde imminuatur utque amplius ibi re vera non habeatur « coeducatio ».

Quodsi eiusmodi « coinstitutio » haberi non possit, praecipitur ut in relationes quinquennales opportunus numerus quaestionum inducatur, quibus Sedes Apostolica certior reddatur de agendi modo in scholis, ubi utriusque sexus iuvenes promiscue educantur.

Quemadmodum supra dictum est, Exc.mi locorum Ordinarii principia generalia ac normas ad effectum deducenda curent, prout singuli casus in propria dioecesi occurrentes postulant.

Praeterea, in cuiusque Nationis Coetibus Episcopalibus, iidem Ordinarii certas definitasque recensere poterunt normas, quae prae oculis haberi et servari debeant iis in casibus, in quibus « coeducatio » necessaria videatur.

III - Index generalis cautionum adhibendarum

Cum neque utile videatur neque prudentiae consentaneum, ut ab Apostolica Sede index singularum omnium cautionum edatur, eo quod hominum rerumque adiuncta variis in regionibus valde inter se discrepent, hic normis supra expositis breves animadversiones generales adiciuntur, quae, singulis in casibus, in promptu haberi possunt, quasi lumina agendi rationi praelucentia.

1. Superiores et antistitae scholis, quae « coeducationis » ratione reguntur, eos attribuant religiosos et religiosas, quorum virtus et maturum iudicium experientia sint comprobata. Iis vero peculiari modo invigilent, ut quodvis malum praecaveatur, utque iisdem eae praesto sint cautiones, qua a fideli observantia disciplinae religiosae promanant.

2. Cuilibet scholae attribuatur Praefectus religionis vel Magister pietatis, cuius sit vitam spiritualem Instituti moderari.

3. Religiosi non nisi raro et extrema compellente necessitate, et utique antea obtento ab hac Sacra Congregatione indulto Apostolico, scholas secundi ordinis promiscuas sinantur moderari.

4. Cum magistris e laicorum ordine institutio mandatur, maxima habeatur cura ut tales deligantur doctores, qui nulla prorsus laborent suspicione et qui efficacem praebere possint operam ad puerorum et puellarum mores rite conformandos.

5. Mutua vitae consuetudo, quae inter utriusque sexus iuvenes ex eadem schola intercedit (veluti coetus sociales hisque similia), magna cum moderatione modestiaque fiat; neque umquam vigilantia desit, prouti diversa temporis et loci adiuncta postulent.

6. Abstinendum est a ludicris corporum exercitationibus vel certaminibus gymnicis, quae ab utriusque sexus iuvenibus simul edantur.

7. Internae convictus sedes, utrique sexui destinatae, institui ne sinantur.

8. Studiose curetur ut iuvenes utriusque sexus invicem separentur:

a) in scholarum auditoriis, ita ut discipuli diverso sedeant ordine, scilicet ab altero latere pueri, ab altero puellae;

b) in introitu et egressu, in spoliariis hisque similibus;

c) certis in praelectionibus, scilicet:

1° cum agitur de serie auditionum valde particularium circa biologiae disciplinam;

3° cum agitur de auditionum serie vel praelectionibus circa cultum humanitatis vel psychologiam, quae ad diversi sexus alumnos referuntur;

4° cum agitur de disciplina artis gymnicae;

d) in lusionibus.

9. Semper adsit religiosus vel alia persona probatae fidei, quae advigilandi munus exerceat.

10. Animis iuvenum inculcetur, ut digne inter se agendi ratione contineantur.

11. Religiosi qui munus docendi aut sacrum ministerium exercent apud discipulas Institutorum, etiam ubi « coeducatio » viget, sibi creditum tantummodo munus exercere debent, caventes ne alius consuetudinis usus sibi cum illis intercedat.

Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Roma, ex aedibus Sacrae Congregationis Negotiis Religiosorum Sodalium praepositae, die octava mensis Decembris, anno 1957.

Valerius Card. Valeri, *Praefectus*

L. + S.

Arcadius Larraona, C.M.F. *Secretarius*

(*A.A.S.*, vol. 50, p. 99-103)

ADNOTATIONES

1. Fere nunquam fuit textus ita accuratus et scrutatus; raro dixit Instructio majorem prudentiam ac discretionem. Non agebatur de aliqua innovatione facienda, sed de jam notis principiis clare enunciandis et de talium principiorum applicationibus inpiciendis. Litterae Encyclicae *Divine Illius Magistri* jamdiu fundamentalem statuerant doctrinam circa scholas, in quibus indiscriminatim ambo sexus recipiuntur; definiendae manebant applicationes variae juxta diversas regiones.

Cum « coëducatio » revera sit periculum, potestne ejus existentia tolerari? in quanom mensura? quibusnam sub conditionibus? En objectum recentis Instructionis quae problema tamen ad scholas secundarias seu medias restringit.

2. Occasio documenti fuit casus quidem particularis anno 1953 ad Sacram Congregationem de Religiosis delatus. Ex Ipsius Summi Pontificis mandato, Eadem Sacra Congregatio quaestioni studere debuit et informationes, quae caracterem universalitatis habuissent, colligere voluit. Jam in Archivo hujus S. Dicasterii jacebat « documentatio » quaedam, sed nova inquisitio ad Orbis mensuram dilatavit percontationes. Instrumenta nunc mille paginarum mentem praebent Excellentissimorum Nuntiorum vel Delegatorum Apostolicorum simul ac Ordinariorum locorum.

Talibus documentis locuples, Sacra Congregatio consilium petivit plurium Consultorum, qui tum originem tum formationem omnino diversam habuerant et, juxta desiderium Romani Pontificis, « Plenariam » adunavit mixtam, cui participarunt Eminentissimi Patres Cardinales sex Romanarum Congregationum: Eminentissimus Dominus Card. Valerius Valeri, Praefectus Sacrae Congregationis de Religiosis tamquam Praeses; Eminentissimi Patres Adeodatus Piazza, tunc Segretarius Sacrae Congregationis Concistorialis; Eugenius Tisserant, Secretarius Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali; Petrus Ciriaci, Praefectus Sacrae Congregationis Concilii; Petrus Fumasoni Biondi, Praefectus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide et Joseph Pizzardo, Praefectus Sacrae Congregationis de Seminariis studiorumque Universitatibus simul ac Secretarius Sacrae Congregationis Sancti Officii.

Eminentissimi Patres, omni opportuna ac necessaria prudentia et attentione, problema examinaverunt, quorum postea labores ac decisiones Sanctitas Sua approbare dignata est. Textus quidam, deinde redactus, examini subjectus fuit Consultorum tum singulatim tum in peculiari commissione; hic vero textus, ab unoquoque Eminentissimorum Patrum Cardinalium, qui partes in Ple-

naria Mixta habuerant, recognitus, Summo Pontifici delatus est. Decisiones tandem Plenariae Mixtae et textus a Sanctitate Sua adprobatus publici juris in Commentario « Acta Apostolicae Sedis », post quinque fere annos accurati studii, die 24 Februarii 1958 cum subscriptione diei 8 Decembris 1957 facta sunt.

3. Introductio Instructionis historiam seu originem documenti memorat. *Principia* ante oculos proponunt jam a Sanctitate Sua Pio XI aperte definitam doctrinam et motiva, quae « coëducationis » tolerantiam permittunt. *Normae,* quae sequuntur, ab omnibus servandae sunt. Elenchus tandem dispositionum seu *cautelarum* est brevis consiliorum index, qui brevior vel longior fieri posset, sed cujus applicatio, etsi nonnulla sint obligatoria, Excellentissimorum locorum Ordinariorum judicio relinquitur.

Ipse Instructionis textus maximi est momenti. Quin verum hic offeratur « commentarium » ipsius textus —quod limites harum paginarum superaret— principales aspectus indicare volumus.

Extollenda imprimis venit paterna ac religiosa vigilantia ac sollicitudo Summi Pontificis qui, veluti Vicarius Christi in terra, jus et officium habet fidei et moribus totius orbis attendendi.

Litterae Encyclicae *Divini Illius Magistri* jam principia exposuerant. Nova Instructio caracterem non habet dogmaticae cujusdam definitionis, sed Magisterii consensum in maxima orbis catholici parte exprimit.

Aspectus quidam omnino peculiaris speciatim indicandus videtur: *aspectus competentiae.* Sacra enim Congregatio de Religiosis auctoritate non pollet — canon 251 limpidus est —, nisi in omnes religiosos (post Instructionem « Provida Mater » diei 2 Februarii 1947, potius dicendum esset: in omnes sodales Statuum perfectionis acquirendae) totius orbis: normas nunquam edicere valet pro membris cleri saecularis vel praecepta his imponere. Voluntas tamen Summi Pontificis, in casu concreto, erat imponendi Instructionem circa « coëducationem » tanquam legem pro omnibus; facile intelligitur voluntatis convenientia eo praesertim quod omnes Sacrae Romanae Congregationes, quarum interest, partem in Plenaria Mixta habuerant. *Modus* manebat eligendus talem universalem obligationem communicandi seu publici juris faciendi. Oportebat ut textus formales voluntatem Summi Pontificis indicaret omnes, quorum interest, obligandi; quodlibet autem documentum a Sacra Congregatione de Religiosis proveniens nonnisi subjecta hujus S. Dicasterii alioquin attingere posset. Quare legimus sub p. 99 jam citati Commentarii: « Sanctitas vero Sua omnia rata habere et confirmare dignata est; atque conclusiones, non solum

a religiosis, sed ab omnibus, quorum interest, rite fideliterque servandas, ab hoc Sacro Consilio, praesentis Instructionis forma et tenore, publici juris fieri mandavit ».

4. Potiusquam formalem « coëducationis » definitionem, Instructio descriptionem tradit, cum de illa loquitur velut « juvenum utriusque sexus promiscua institutione »; quod saepe improprie dicitur « schola mixta ». Haec « promiscua institutio » jam a primis infantiae annis usque ad aetatem provectiorem existere valet. Facile intelligitur pericula psychologica et moralia — minora vel etiam vix existentia in primis annis seu in scholis elementaribus ubi nonnulla commoda inveniri possunte — graviora tempore studiorum universitariorum, in sua amplitudine vigere tempore pubertatis seu scholarum secundariarum, mediarum. Quare de « coëducationis » argumento in Instructione disseritur dumtaxat, prout ad tales scholas secundi ordinis spectat. Ad scholas elementares quod attinet, jam Ordinariis locorum data est facultas tempus difiniendi, quo pueri et puellae in hujusmodi scholis simul institui possunt; in studiorum Universitatibus, iidem Ordinarii paternam ac pastoralem exercere debent vigilantiam quatenus custodes sunt fidei et morum in propriis dioecesibus.

5. Litterae Encyclicae *Oivini Illius Magistri,* ut supra dictum est, clare principia christiana circa « coëducationem » formulabant:

« Aeque vero fallax atque christianae institutioni infensa illa adolescentes instruendi ratio habenda est, quam vulgo coëducationem appellant; eorum enim qui ipsam tuentur, bene multi idcirco tuentur quia aut non considerant aut negant, protoparentum labe vitiatum nasci hominem, plerique vero omnes, quia tali notionum perturbatione laborant ut legitimum hominum convictum habeant quasi quendam virorum ac feminarum omnibus plane rationibus parium inconditum acervum.

« Divinus sane rerum omnium moderator perfectum utriusque sexus convictum in legitimo tantum conjugio vigere voluit, dein in familia inque humana consortione, certo ordine dispertitum. Accedit quod nihil est in ipsa natura — ex qua sexus, compage corporis, inclinationibus, ingenioque dissimiles procedunt — unde colligi possit, mares et feminas promiscua, nedum una eademque, educatione informandos esse. Alter autem et alter sexus a Dei sapientia ad hoc sunt constituti ut in familia et societate mutuo se differunt, quod idcirco in educatione atque institutione tenendum imo fovendum est per atpam distinctionem ac separationem, aetatibus ac conditionibus congruentem.

Ejusmodi vero praecepta, ad christianae prudentiae prae-

scriptum, tempestive atque opportune servanda sunt non modo in scholis omnibus, praesertim per trepidos adolescentiae annos, unde totius ferme futurae vitae ratio omnino pendet, sed etiam in gymnicis ludis atque exercitationibus, in quibus christianae peculiari modo modestiae puellarum cavendum, utpote quas ostentare sese atque ante omnium oculos proponere summopere dedeceat... » (*A.A.S.*, 1930, pp. 72-73).

Jam ante has Litteras Encyclicas Pii XI, nonnulli Ordinarii adversus « coëducationem » gradatim in suis dioecesibus introductam et loquebantur et etiam pro scholis elementaribus tali systemati sese opponebant in Gallia praesertim et in Germania (cf. *Documentation Catholique*, 1930, pp. 459-463).

Postquam Litterae Encyclicae *Divini Illius Magistri* publicatae fuerunt, quidam nimis rigide textum Summi Pontificis Pii XI accipere volebant et absolute prohibendam esse censebant quamlibet « coëducationem » quamcumque possibilitatem tolerantiae denegantes. Aliquibus tamen in casibus, difficilis videtur rigorosior applicatio textus harum Litterarum Encyclicarum. Nonne enim aiebat Summus Pontifex: « Ejusmodi... praecepta, *ad christianae prudentiae praescriptum,* tempestive atque opportune servanda sunt non modo in scholis omnibus, *praesertim per trepidos adolescentiae annos, unde totius ferme futurae vitae ratio omnino pendet...*»?

Catholici educatores, qui « coëducationem » nonnunquam tolerandam aestimaverunt, non possunt de haeresi vel rebellione accusari; illis nequeunt applicari verba Pii XI « ... eorum enim qui ipsam tuentur, bene multi idcirco tuentur quia aut non considerant aut negant, protoparentum labe vitiatum nasci hominem, plerique vero omnes, quia tali notionum perturbatione laborant ut legitimum hominum convictum habeant quasi quendam virorum ac feminarum omnibus plane rationibus parium inconditum acervum ». Multi inveniuntur catholici educatores, religiosi vel religiosae, qui adolescentes et puellas insimul instituunt, quorum paulatim et mentem et cor efformant. Dicere debemus hos educatores peccatum originale non admittere? In conspectu aliquorum certorum et miserrimorum abusuum, num omnes educatores debent quamlibet scholam vel aulam « coëducationi » claudere?

Juventus instituenda est. Aliquibus vero in regionibus, scholae statales neutras se exhibent; quare laborem seu conatum immensum et arduum sustinere debent catholici ad proprias aedificandas et sustentandas scholas et impossibile omnino illis est ad geminas habendas scholas pro adolescentibus et puellis, expensas duplicare. Quid erit in praxi faciendum? Vel alii in scholis catho-

licis instituendi custodiuntur, dum alii ad scholas Status mittuntur; vel in scholis catholicis toleratur « coëducatio ». In primo casu, adolescentes (vel puellae) scholas statales frequentant, in quibus « coëducationem » certo inveniunt et ubi pericula reperiunt pro fide sua e doctrina vel amicis promanantia, et pericula pro moribus propter sexuum promiscuitatem quin ulla plerique exerceatur vigilantia. In altero casu, tolerantur catholicae scholae « coëducationis », in quibus nullum habetur periculum circa fidem et ubi, propter discretam et religiosam vigilantiam, valde minuuntur pericula circa mores. — In casibus extremae necessitatis enim, minus grave est speculatum et diminutum periculum pro moribus quam periculum et non speculatum pro fide simul ac pro moribus tolerari.

Nonnulli absolute vellent in hac « vita communi » amborum sexuum, nonnisi commoda videre quae naturaliori evolutioni individui vel personalitatis faverent. Nemo non videt commoda vera quae ex hac « continuatione vitae familiaris » *nonnunquam* venire possunt. Talia tamen commoda — saepe dubia — incommoda compensant? In aliquibus regionibus non impossibile est commoda in scholis elementaribus primum habere locum; commoda vero numquam incommoda compensare poterunt, si de scholis secundariis loquimur. Tenendum igitur omnino est: si « coëducatio » sine nimia difficultate in scholis elementaribus permitti potest, nonnisi tamen de *tolerantia* loqui valemus, cum agitur de scholis secundariis seu mediis, « de trepidis adolescentiae annis, unde totius ferme futurae vitae ratio omnino pendet ». Principium ergo remanet semper generale: « coëducatio » non *admittitur* in catholicis scholis mediis seu secundariis, sed *tolerari* poterit. Litterae Encyclicae *Divini Illius Magistri* tali conclusioni non opponuntur; nova Instructio hoc explicite exprimit.

Non cujusvis vero erit num, de facto, « coëducatio » toleranda sit definire. Excellentissimi Ordinarii locorum sunt enim publici fidei et morum custodes in propriis diocesibus; jus et officium habent invigilandi; rationem Deo et Ecclesiae reddere debent. Horum Ducum erit *in Domino* judicare num opportune tolerandum sit tale institutionis systema pro juvenibus suarum dioecesium et normas, quae necessariae videntur ad certa incommoda vitanda, in casu decernere.

In regionibus sive catholicis sive non catholicis, immutata manent principia, quorum tamen applicationes distingui poterunt. Cum Ordinarius loci judicaverit « coëducationem » in sua dioecesi tolerari posse, memorandum erit utique semper de mera to-

ierantia agi, nunquam vero de principio recipiendo quod palam a Litteris Encyclicis supra citatis dissentiret.

In hac vel illa regione, aiunt nonnulli, juvenes nihil mali in sexuum promiscuitate inveniunt. — Facile admitti potest juvenes malum non exquirere; difficilius vero admitteretur in tali promiscuitate nullum adesse periculum — valde ingenuus qui crederet —, nam clarius probatur ubique terrarum naturam humanam eamdem reperiri et peccatum originale existere. Si negantur enim vera et certa pericula, qua in « coëducatione » reperiuntur pro scholis praesertim secundariis, practice tunc veluti principium recipitur « coëducatio » et reprobatio meretur expressa in Litteris Encyclicis *Divini Illius Magistri* quae semper erunt « Magna Charta » cum de juventutis institutione agitur.

6. Cum, judicio Excellentissimorum Ordinariorum, « coëducatio » tolerari potest, *normae* quae sequuntur servandae sunt.

Instructio, tamquam primam providam voluntatem, indicat « co-institutionem », qua practice duae habentur scholae quarum alumni vicissim aulis communibus (veluti bibliotheca, gymnasio, loco « recreationis », officina laboris scientifici, etc.) utantur.

Si vero talis provida « co-institutio » impossibilis de facto verificatur, numerus tunc praeparandus erit quaestionum in relationibus quinquennalibus sive dioecesium sive religionum ut Sancta Sedes de problemate « coëducationis » in toto orbe perquisite moneatur.

Excellentissimi Ordinarii locorum curam habebunt ut fideles sui christiana principia et normas servandas clare ediscant; Coetus episcopales ,in unaquaque regione seu ditione, communes normas pro universa regione servandas definiant.

Normae in Instructione breviter elenchatae rigorose obligatoriae sunt; quare, ubi «coëducatio » toleratur et « co-institutio » haberi nequit, relatio quinquennalis de « coëducatio » Sanctam Sedem edocere debet.

7. Instructio Sacrae Congregationis de Religiosis nonnullas enumerat, ad modum exempli, cautiones, quae necessariae videntur ubi Excellentissimi Ordinarii locorum « coëducationem » tolerandam esse judicaverunt.

Notandum est, imprimis, quod Superiores Majores semper magna prudentia et sapientia procedere debent, cum agitur de nominandis sodalibus pro scholis « coëducationis ». Hi sodales oportet ut habeant specialem praeparationem tchnicam, psychologicam et religiosam:

1°si magister necessariam auctoritatem habere cupit, in scho-

lis praesertim, in quibus ambo recipiuntur sexus, praeparationem exhibere debet perfectam;

2° juvenes perfecte agnoscere debet magister et peculiarem « mentem » regionis ignorare non permittitur. Imprudenter agerent Superiores, qui pro scholis « coëducationis » sodalem nominarent in quo nulla demonstraretur aptitudo ad talem conditionem intelligendam; pericula vera et magna adesse tunc possent tum pro alumnis tum pro magistro.

3° magistri nonnisi solide formati venire debent ad scholas praesertim « coëducationis » tum quoad doctrinam tum quoad ipsam vitam religiosam.

Etsi religiosae de sola Ordinarii loci licentia acceptare valent scholam, ubi toleratur « coëducatio », religiosi tamen « non nisi raro et extrema compellente necessitate, et utique antea obtento ab hac Sacra Congregatione indulto Apostolico ».

Excellentissimi Ordinarii locorum judicabunt, singulis in casibus, quaenam dispositiones concretae oportuniores erunt pro dioecesibus propriis, ante oculos semper habentes quod Ecclesiae et Deo rationem reddere debent fidei et morum in omnibus scholis sui territorii (cf.: can. 1381 et 1382).

8. Minutior quibusdam, vacua aliis visa est Instructio de juvenum utriusque sexus promiscua institutione. Dicenda est tamen, revera, monumentum sapientiae et ponderationis, documentum dignum millenariae prudentiae Sanctae Matris Ecclesiae semper sollicitae de regimine animarum, quas non vult in tentationem inducere.

D.-M. Huot, *s.m.m.*

SACRA CONGREGATIO DE SEMINARIIS ET STUDIORUM UNIVERSITATIBUS

EPISTULA

AD EXCELLENTISSIMOS LOCORUM ORDINARIOS *DE LATINA LINGUA RITE EXCOLENDA*

Excellentissime Domine,

Latinam excolere Linguam eandemque diligere sacrorum alumni per saeculorum decursum iustis probatisque institutis edoctii sunt. Minime enim Te praeterire censemus — utpote sacrae tuae iuventae rectam educationem pro viribus prosequentem — quantopere instent Ecclesiae praecepta, ut ad Sacerdotium contendentes cum generatim humanis litteris tum praesertim Latino sermone sedulo imbuantur. Probe enim novimus hanc linguam esse Sacerdotis insigniter propriam, qua is uti iubetur cum Sacra exsequitur Christi vicem gerens apud Deum; non est dubium igitur quin ipsius muneris gratia ille non modo huius sermonis gnarus esse debeat, verum etiam peritus quam qui maxime.

At nostra aetate vulgata est opinio viros ecclesiasticos haud ita optimis artibus esse eruditos, quibus decessores anteactis temporibus omnium aestimationem sibi comparabant; quin etiam, saepe ac passim dici audimus non deesse sacerdotes sacris ordinibus recenter auctos, qui, ad Latinam Linguam quod attinet, tanta inscitia laborent, ut eam non modo expediti loqui aut scribere inoffensis grammaticae legibus, sed etiam vel facillmum Latinitatis auctorem intelligere-nequeant.

Quae sit huiusmodi rei causa, plane omnibus patebit, qui paulo perpenderint quomodo alumni nostri in praesens instituantur. Fatendum quidem est in nostris quoque Seminariis Latinae Linguae studium multum esse imminutum, atque sacra Ephebea haud raro inclitam studiorum laudem amisisse, qua, litterarum cultum cum boni virtutisque amore egregie componendo, exemplo auctoritateque viguerunt: pro dolor! aetas haec nostra nihil aliud vel pluris facere vel avidius cupere videtur,

quam commoda vitae utilitatesque, atque non sine contemptu aspernari quod politiorum artium et litterarum navitatem pulchritudinemque redoleat.

Ne quis existimet nos plus dicere quam patiatur veritas, cum de Latinae Linguae defectione in Seminariis nostris querimur, satis fuerit in medium quaedam proferre exempla quae huic Sacrae Congregationi comperta sunt. Etenim per Visitatores Apostolicos, qui nuper in singulis Nationibus de ratione studiorum penitius investigaverunt, factum est, ut de hac re tristissima nancisceremur testimonia. Quin imo non defuerunt qui, ingravescente malo commoti, sua sponte animum nostrum in negotium tanti momenti converterent, omnes ipso quo funguntur munere fide digni et omni exceptione maiores, hoc est Universitatum studiorum Praesides, Seminariorum Moderatores ac Magistri, nec non aliqui viri laici haud parvae auctoritatis impenseque de Ecclesiae bono solliciti.

At nos moverunt praesertim plurimorum Episcoporum interventus, qui fuse et iisdem fere verbis damna denuntiant Ecclesiae obventura, nisi opportuna aptaque remedia adhibeantur. Afflictam Latinae Linguae sortem conquesti, eius ignorantiam potissimum deplorant, eo quod, hac de causa, nostrorum Ephebeorum alumni disciplinas philosophicas et theologicas minus colere videantur vel leviter tantum attingere. Nam Latinum sermonem nisi sacrorum alumni optime calleant — id quoque Exc.mi Praesules iure meritoque affirmant — Sanctorum Patrum scripta, Conciliorum definitiones edictaque, Summorum Pontificum documenta, Theologorum sententiae, uno verbo, uberrima totius Traditionis monumenta divitias suas eis aperire non possunt.

Quapropter Sacra haec Congregatio tot tantique ponderis invitationes, quae undique ad eam pervenerunt, recipere non dubitavit; atque rem utilem simul et acceptam se facturam omnibus confisa, ut in libellum colligerentur decrevit documenta aliqua, quae Summi Pontifices nostro tempori propiores ad rem quod attinet luculentissime dederunt. Qui enim hoc parvum volumen evolverit, facile cernet quanta argumentorum vi Latina Lingua nostris adulescentis proponatur omni diligentia et cura perdiscenda. Summos Pontifices loquentes induximus, ut omnibus, ad quos pertinet, sine ulla ambiguitate pa-

teat quid faciendum sit, ut quae eorum voce Ecclesia ipsa iubet, ad effectum studiosissime deducere non pigeat. *

Quo plenius vero propositum assequamur, operae praetium est exponere quaenam sint r e m e d i a adhibenda, malo curando consentanea; quae sane ita deligenda sunt, ut sint pauca quidem numero, sed efficacitate validissima.

I - Dubitari non potest quin ad Linguam Latinam in pristinum florem vigoremque restituendam, primum locum obtineat accurata s e l e c t i o M a g i s t r o r u m. Perspicuum est enim nullum huius disciplinae profectum esse sperandum usque dum magistri haudquaquam idonei huic operi addicti fuerint. Nam Visitatores Apostolici communi sententia affirmant ex hoc potissimum prodire valde dolenda consectaria, quod scilicet huic disciplinae tradendae saepe saepius magistri praeponantur haud pares. Curent igitur Ordinarii, ut discipulos doctis praeceptoribus solummodo committant, iis in primis qui, cum altius ac diligentius apud Universitates studiorum in litteris elaboraverint, sint instituendi docendique periti; qui si desint, omni contentione eos parare enitantur.

II - Ad Latinum autem sermonem facilius penitiusque ediscendum, Seminarii alumni inde a primis navandis litte-

* Quo uberiora de Latinae Linguae studio et usu argumenta Excellentissimis Ordinariis suppeditaret, Sacra Congregatio de Seminariis Studiorumque Universitatibus duo quoque o p u s c u l a ad eos misit, quibus titulus: I. *Summorum Pontificum cum de humanioribus litteris tum praesertim de Latina Lingua documenta praecipua;* II. *Il Latino lingua viva nella Chiesa*, in quo viri praeclari docte ac dilucide rem proponunt.

Ad Summorum autem Pontificum d o c u m e n t a quod attinet, haec quae sequuntur allata sunt: Pius IX, Epist. Encycl. *Singulari quidem*, 17 martii 1856 (*Enchiridion Clericorum*, n. 338); — Leo XIII, Epist. *Plane quidem*, 20 maii 1885 (*Ench. Cler.* nn. 461-465); Epist. Encycl. *Depuis le jour*, 8 sept. 1899 (*Ench. Cler.* nn. 593-596); — Pius X; Epist. S. C. Studiorum, *Vehementer sane*, 1 iulii 1908 (*Ench. Cler.* nn. 820-822); Epist. *Sollicitis Nobis*, 8 dec. 1910 (*Ench. Cler.* n. 849); Epist. *Vôtre lettre*, 10 iulii 1912 (*Ench. Cler.* n. 861); — Benedictus XV, Litt. S. C. de Semin. et Stud. Univ. *Vixdum Sacra Congregatio*, 9 octobris 1921 (*Ench. Cler.* n. 1125); — Pius XI, Epist. Ap. *Officiorum omnium*, 1 augusti 1922 (*Ench. Cler.* n. 1154); Epist. Ap. *Unigenitus Dei Filius*, 19 martii 1924 (*Ench. Cler.* n. 1189); M. P. *Latinarum litterarum*, 20 octobris 1924 (*Ench. Cler.* nn. 1200-1202); — Pius XII, Epist. Encycl. *Mediator Dei*, 20 novembris 1947 (*A. A. S.*, 39 [1947] 544 s.); Serm. *Magis quam*, 23 septembris 1951 (*A. A. S.*, 43 [1951] 737); Serm. *C'est une grande joie*, 5 septembris 1957 (*A. A. S.*, 49 [1957] 845-849).

rarum studiis huius linguae rudimentis instituantur necesse est. Recta vero institutionis methodus accurate seligatur oportet: quomodo scilicet tironibus haec disciplina sit impertienda, ut eam colant, diligant ac diligendo optime discant.

Sunt qui, severiorem sententiam secuti, nimis et temporis et curae philologicis pervestigationibus tribuant atque doctissimis quidem ac paene infinitis elucubrationibus discipulorum mentes referciant: quid mirum, si tantam doctrinae congeriem oscitanter accipiunt alumni atque fastidiunt?

Alii contra, quibusdam recentioribus instituendi praeceptis indulgendo, censet discipulis, paucis dicendi scribendique legibus acceptis, quam primum in lectionem optimorum Latinitatis Auctorum esse incumbendum. Quo fit, ut discentes, necessariis rudimentis haud instructi, omne genus difficultatibus prohibeantur, quominus quae legant recte interpretari valeant; quamobrem crebro accidit, ut pueri, vanis infructuosisque inceptis fatigati, animo ita deficiant, ut desperent se id quod conantur assequi posse.

Cum omne, quod finem et modum excedat, semper noceat, medium iter tenere debemus: apta igitur et efficax illa nobis videtur alumnorum institutio, quae — opera congruenter impensa grammaticae regulis verborumque constructioni ediscendis — crebris exercitationibus ad difficultates evincendas et ad scriptores recte interpretandos gradatim perducat.

Qui vero Auctores deligendi? Antiquitatis Romanae unis scriptoribus haud contentos nos esse oportet, sed etiam magni aestimandi sunt totius Latinitatis Auctores, qui tum incorrupta verborum integritate concinnaque oratione, tum dicendi genere ad aureae aetatis magistros iure accesserint. Latinus enim sermo nunmquam ita iacuit, ut aliquando cultores egregios non invenerit non minus elegantia quam doctrina conspicuos. Ex omnis aetatis igitur viris litteratis exemplum simul et incitamentum capiant discipuli, qui hac ratione certis innixam argumentis hanc detegent veritatem: Linguam Latinam non esse mortuum quiddam vel exsangue saeculorum pulvere contectum ideoque ad viae disciplinam prorsus inutile, sed instrumentum atque sapientiae humanitatisque vehiculum, quibus, Ecclesia duce et magistra, noster civilis cultus

effictus et conformatus est: eam igitur iure meritoque firmam etiam hodie servare vim et efficacitatem.

III - Postremo unum nobis valde commendandum restat, ut scilicet ad Linguam discendam iusta alumnis concedatur facultas: ut enim eius praecepta et usum calleant — cum praesertim haud parvae obstent difficultates — multum temporis et laboris requiritur. Quid igitur dicendum de illis studiorum rationibus (quas in quibusdam Seminariis vigere comperimus), quibus tam paucae numero horae praelectionum Linguae Latinae studio tribuuntur? Quidam excusationem afferunt, quod maioribus necessitatibus cedere cogantur: aiunt enim alumnos, nisi rationem studiorum a civili potestate praestitutam sequantur, gradus academicos publice probatos acquirere non posse. Quae tamen excusari non possunt. Nam Ecclesia ad sacrorum alumnos rite instituendos, cum suos peculiares habeat ac prosequatur fines, suis quoque utitur legibus, quibus nullo pacto se abdicare potest; ceterum esse Seminaria, in quibus tirones et latine discant et gradus academicos sibi comparent, omnibus compertum est.

Haec Tecum communicanda putavimus; eaque sane tanti momenti et auctoritatis esse videntur, ut Tuas mereantur curas sollicitudinesque quam maximas. Pro certo quidem habemus, omnia in Tuo Seminario ita dispositum iri, ut ad has normas hortationesque alacriter conformentur.

Qua freti spe, optima quaeque Tibi ex animo ominamur ac plurimam in Domino salutem dicimus.

Datum Roma, ex Aedibus Sancti Callisti, d. XXVII m. Octobris, in festo D. N. Iesu Christi Regis, a. D. MCMLVII.

+ I. Card. PIZZARDO, *Praefectus*

L. + S.

† C. Confalonieri, *a Secretis*

ADNOTATIONES

Quanta cura et sollecitudine Romani Pontifices a medio saeculo XIX, cum germanae Latinitati acrius indictum est bellum, eiusdem usum in litteratis Clericorum ludis defenderint nemo unus est qui ignoret; idque in praesens minore labore perpendere fas erit, post editum libellum, cui index *Summorum Pontificum tum de humanioribus Litteris cum praesertim de Lingua Latina documenta praecipua* [1], quem Sacrum Consilium Seminariis studiorumque Universitatibus praepositum recens in vulgus emisit.

Hisce documentis, ut quaedam afferam, Latinus sermo exhibetur atque commendatur modo *religionis catholicae Occidente toto comes et administer* [2]; modo tanquam lingua *Ecclesiae propria*, qua *Clerus canonicas recitat precationes, Sacrum facit omnesque sacros ritus et coerimonias, quas liturgia praescribit, exequitur* [3]; modo tamquam *cum Philosophiae, tum sacrarum disciplinarum lingua* [4]; *magnifica coelestis doctrinae sanctissimarumque legum vestes* [5]; modo tamquam *loquendi genus, pressum, locuples, numerosum, maiestatis plenum et dignitatis quod mire dixeris comparatum ad serviendum Romani Pontificatus gloriae* [6]; *thesaurus incomparandae praestantiae* [7], *perspicuum venustumque unitatis signum ac remedium efficax adversus quaslibet germanae doctrinae corruptelas* [8].

---

[1] Romae 1957, pp. 15; confr. supra Circulares Litteras eiusdem Sacri Consilii dic. 27 oct. 1957, *AAS.*, vol. 50 (1958), p. 293.

[2] Leo XIII, Ex Epist. *Plane intelligis* d. 20 maii 1885, *Acta Leonis XIII*, V, p. 61; apud mem. lib. p. 6 et p. 10.

[3] Pius X, Ex Epist. S. C. Studiorum *Vehementer Sane*, ad Episcopos universos, d. 1 iulii 1908; apud mem. lib. p. 8; confr. hac de re doctam acutamque commentationem F. Romita, *De Lingua et Cathechesi Liturgica iuxta Litteras Encyclicas « Musicae Sacrae Disciplina »*, in commentariis *Monitor Ecclesiasticus* 1957, I, pp. 123 ss.

[4] Pius X, *apud mem. Epist.*, l. c.

[5] Pius XI, Ex Motu proprio *Latinarum Litterarum*, d. 20 oct. 1924, *A.A.S.* XVI, p. 417; *apud mem. lib.* p. 12.

[6] Pius XI, Ex Epist. Ap. *Officiorum omnium*, d. 1 augusti 1922, *A.A.S.* XIV, p. 453; *apud mem. lib.* p. 11.

[7] Pius XII, Ex Serm. *Magis quam*, d. 23 sept. 1951, *A.A.S.* XLIII, p. 737; *apud mem. lib.* p. 15.

[8] Pius XII, Ex Epist. Encycl. *Mediator Dei et hominum*, d. 20 Nov. 1947 *A.A.S.* XXXIX p. 544; *apud mem. lib.* p. 15. Cfr. etiam eiusdem Summi Pontificis f. r. sermonem ad Alumnos e Seminariis minoribus Galliae, peregrinationis causa Romae coadunatis, d. 15 sept. 1957 habitum, *A.A.S.* XXXXIX, pp. 84 ss., Confr. A. Bacci, *De Ecclesia Latinitatis fautrice*, in *Latinitas*, 1955, pp. 12 ss.; Aem. Springhetti S. I., *Lingua Latina, Gloria Sacerdotum* in *Mo-*

Quare iidem Summi Sacrorum Antistites afflictam vel apud Sacrorum alumnos et administros Latinitatis sortem conquesti nunquam sibi temperarunt quin hortarentur ut clerus ante alios latinae linguae perstudiosus esset [9]; dum certas altioresque quoque scholas erigebant, quo Romanorum sermo, cuius usus in Codice Iuris Canonici sancitus est (can 1364, § 2), plenius ac limatius cognosceretur [10].

Id in causa est cur Sacra Congregatio de Seminariis Studiorumque Universitatibus *praesertim plurimorum Episcoporum* interventibus compulsa, memoratis Circularibus litteris [11], in quas breve hoc commentarium fit, peropportunum censuerit: I Latinae linguae *defectionis* in Seminariis causam indicare; II remedia adhibenda exponere, malo curando consentanea.

I. *Quibus de causis in Seminariis Latinae linguae cultus deteriorem in statum collapsus sit.*

Primaria causa cur, praesertim in quibusdam sacris ephebeis Latinae linguae studium negligi videatur, est — uti aperte significatur — vigens studiorum ratio, qua fit ut Latinitatis studio *in nostris quoque Seminariis* pauciores prorsus horae tribuantur, quae procul dubio satis esse non possunt linguae Latinae rite excolendae; hanc enim docere lentum quidem opus [12], hanc addiscere plurimum laboris postulat, uti om-

---

nitor Ecclesiasticus 1951, IV, pp. 659 ss.; Id., *Il Latino alla ribalta*, in *Civiltà Cattolica* 1956, III, pp. 464 ss.; V. Tarozzi, *De Litteris Latinis Oratiuncula*, Bononiae 1887, pp. 35; I. Parisella, *De Vincentio Tarozzi, pereleganti prosae Orationis scriptore*, in *Latinitas*, 1956, III, pp. 215 ss. Praeterea non abs re videtur nonnullas commentationes proferre, quarum auctores iam pridem monuerunt ne studium Latinae linguae neglegeretur; Carolus Henricus Sintenis, *Prolusio de nimia sermonis patrii cultura hodiernae barbariae causa*, Lipsiae 1780; Carolus Augustus Schirlitz, *De Latinae linguae usu e scholis haud quaquam tollendo*, Halle 1825; Ernestus Platner, *Pro linguae Latinae utilitate in re publ. litterarum defensio*, Lipsiae 1832; Hieronymi Ferrii Longianensis Favent. Rhetoris, *Pro linguae latinae usu Epistolae adversus Alambertium* etc. Faventiae 1771, pp. 1-219; I. Parisella, *Hieronymus Ferrius incorruptae Latinitatis vindex*, in *Latinitas*, 1957, III, pp. 210 ss. Aem. Springhetti S. I., *Selecta Latinitatis scripta Auctorum recentiorum*, Romae 1951, p. 2 ss.; et passim.

[9] Pius XI, Ex Epist. *Officiorum omnium*, d. 1 augusti 1922, *A.A.S.* XIV, p. 453; *apud mem.* lib. p. 11.

[10] Pius XI, Ex Motu Proprio *Latinarum litterarum*, d. 20 oct. 1924, *A.A.S.* XVI, p. 417; *apud mem. lib.* p. 13.

[11] A. Bacci, *Opportune norme della Sacra Congregazione dei Seminari circa lo studio del latino*, in *Osservatore Romano*, 2 marzo 1958, p. 2.

[12] H. Tondini, *Linguam Latinam docere lentum opus*, in *Latinitas*, 1953, I, pp. 54 ss.

nibus in comperto est; nisi et tu, candide lector, in numero esse velis quorundam vaniloquorum, qui vel iactitent latinum sermonem paucis mensibus percipi posse, vel nimium in instituendis pueris festinent [13].

Recte igitur Summus Pontifex Leo XIII, quo fautore et magistro, *in Romana Curia ita Latinitas refloruit ut renata* videretur aetas Sadoleti et Bembi [14], districte vetuit ne Seminaria minora novitates quasdam sectarentur in publicis scholis usitatas; gradatim nempe restringendi Latinae linguae studium atque tollendi eas scribendi soluta et ligata oratione exercitationes, quas iure maiores nostri putabant praecipuo modo habendas in nostris collegiis. Quinimmo memoratus Summus Pontifex edixit omni cura enitendum ut in Seminariis liberisque collegiis antiquae studiorum rationes custodirentur patriae quoque charitate [15].

« Ex quibus clare intelligitur, si plus nimio in publicis scho-
« lis crescant res tradendae vel quaedam relinquantur, non esse ta-
« men in nostris eas relinquendas, quae ad nostrum scopum sunt
« omnino necessariae, ut est lingua latina, sed alias potius pruden-
« ter vel minuendas, vel arcendas vel ad aliud tempus remitten-
« das. Totum latinitati tribuatur tempus necessarium » [16]. Agitur enim de latini sermonis plenissima in clero scientia provehenda ac propaganda eademque, non praeceptis et arte circumscripta, sed etiam ad usum exercitationemque polite ornateque scribendi translata, cum si de decretis res sit sententiisque conficiendis, tum si de epistolarum quod vocant commercio [17].

Alia causa cur in Sacris Ephebeis Latinae linguae studium despicatui habeatur est in vitio quo inquinatur aetas haec nostra quae « nihil aliud vel pluris facere vel avidius cupere videtur, quam commoda vitae utilitatesque, atque non sine contemptu aspernari qua politiorum atrium et litterarum navitatem pulchritudinemque redoleat ». Ex quo fit ut, non desint pro dolor! in Sacrorum quoque alumnis et administris, qui salse ridere soleant quotquot Latinae linguae excolendae provehendaeque sedulo adlaborent, « quasi homines tardigrados, laudatores pertinaces acto-

---

[13] Ibid., p. 56.

[14] A. Bacci, *De Leonis XIII Latinitate Quinquagesimo exacto anno ab eius obitu*, in *Latinitas*, 1953, IV, p. 258.

[15] Leo XIII, Ex Epist. Encycl. *Depuis le jour*, d. 8 sept. 1899, ad Eppos et Clerum Galliae, *Acta Lonis XIII*, vol. XIX, p. 157; *apud mem. lib.* p. 8.

[16] Aem. Springhetti S. I. *Lingua Latina, Gloria Sacerdotum*, in *Monitor Ecclesiasticus* 1951, IV, p. 669.

[17] Pius XI, Ex Motu Proprio *Latinarum Litterarum*, d. 20 oct. 1924; *A.A.S.* XVI, p. 417; *apud. mem lib.* p. 13.

« rum temporum, qui nondum animadverterint linguam Latino-
« rum iamdiu exaruisse et nullam esse ad usum vitae commu-
« nem » [18]. Quinimmo ii dicaces eruditionis assectatores ad eam temeritatem procedunt ut non solum « in augusto peragendo « Eucharistiae sacrificio vulgari lingua utantur » [19], sed etiam « posthabito antiquae sapientiae patrimonio ac neglectis eximiis « nostrorum operibus, quibus solide ac dilucide proponuntur « fidei dogmata atque ab adversariorum inspugnationibus strenue « et invicte defenduntur, doctrinam sibi comparent ex libris et « ephemeridibus, vernacula lingua conscriptis, unde saepissime « abest orationis perspicuitas, accuratus disserendi modus, fida « dogmatum interpretatio » [20].

Valde igitur exprobrandus qui in quibusdam Seminariis, uti tristissima testimonia confirmant, inolevit mos theologicas ac philosophicas disciplinas vernacula lingua tradendi, quin serio pensitetur, hac via et ratione, sensim sine sensu, et ecclesiasticam disciplinam pessumdari et ipsius fidei integritatem labefactari [21]. Linguae enim universae continuo et funditus evolvuntur; unus contra Latinus sermo suapte natura universalis exstat, immutabilis, non vulgaris [22], ad difficillimas christianae fidei veritates aptus et accommodatus, quam qui maxime.

Tandem praetereunda non est plurium magistrorum imperitia, qua fit ut iidem, aliis apostolatus quidem occupationibus distenti,

---

[18] V. Tarozzi, *op. mem.* p. 12.

[19] Ex Epist. Encycl. *Mediator Dei et hominum*, d. 20 Nov. 1947, *A.A.S.* XXXIX, pp. 544-545; *apud mem. lib.* p. 14; conf. F. Romita, *De Lingua et Catechesi Liturgica iuxta Litteras Encyclicas* « Musicae Sacrae disciplina », in *Monitor Ecclesiasticus* 1957, I, pp. 128 ss.; I Card. Gibbons, *Latin the Liturgical Language*, in *Il Latino Lingua viva nella Chiesa*, Roma 1957, pp. 17 ss.

[20] Benedictus XV, *Ex Litt. S. C. de Semin. et Stud. Univ. Vix dum Sacra Congregatio*, d. 9 oct. 1921, Ench. Cler. n. 1125, *apud mem. lib.*, p. 10.

[21] Voto del Rev.mo P. Wlodimiro Ledóchowski, Preposito Generale della Compagnia di Gesù: « Ma ancora più grave, a mio avviso, è il pericolo che « tale trascuranza del *latino crea per la purezza della fede*. E' ben noto che « lingue volgari sono sempre in evoluzione; e negli ultimi tempi special- « mente in molte lingue vive si sono introdotti molti cambiamenti non solo « di stile, ma anche di parole, creandone di nuove o alterando il significato « delle antiche, fino a cambiarlo talvolta del tutto. Nella lingua latina in- « vece.., i termini che sono stati creati, come frutto di discussioni profonde, « prolungatesi per secoli, per esprimere i più alti e difficili concetti filoso- « fici e teologici, sono diventati termini tecnici di significato ben definito... » *Il Latino, Lingua viva nella Chiesa*, Roma 1957, p. 33.

[22] Pius XI, Ex Epist. Ap. *Officiorum omnium*, d. 1 augusti 1922, *A.A.S.* XVI, p. 452; *apud mem. lib.* p. 11; conf. etiam Epist. Ap. *Unigenitus Dei Filius, d.* 19 martii 1924, *A.A.S.* XVI, p. 141.

imparati iunioresque saepe Latinas litteras in Seminariis tradere inbeantur, maxima uti par est, cum alumnorum iactura [23].

II. *De remediis malo curando consentaneis.*

Tria exponuntur: A. *Accurata Magistrorum selectio;* B. *Recta Latinae linguae tradendae ratio ac via;* C. *Iusta Latinae linguae discendae pro alumnis facultas.*

A. Ad Magistrorum selectionem quod spectat, non est cur lectorem immoremur; res enim in aprico est. Neminem igitur latet quantum damnum alumnis sint illaturi qui aliis ipsi magistris indigere videantur, digni qui ad Orbilii ferulam non semel remittantur.

Nihil igitur miri si Romani Pontifices, nullo non tempore, edixerint adolescentes Clericos, vel a prima pueritia Latinae linguae cognitione et humanioribus litteris *per probatissimos magistros* [24], *sub idonei smagistris* [25], sedulo esse imbuendos; qui scilicet, « integris moribus, flagranti studio, ingenio acri, litteris ex- « quisitis, non communium pedagogorum more tempus omne con- « triverint in nugis aut somniis delirantium Grammaticorum; sed « et praecepta pauca, eaque ex optimis quibusque auctoribus in « promptu habeant; ... et sint ipsi tum in loquendo tum in scri- « bendo exercitati [26] ».

« Qui si desint — aperte monent Circulares Litterae — omni contentione Ordinarii eos parare enitantur; dum eisdem praecipitur ut eis magisterii munus committant qui « cum altius ac « diligentius apud Universitates Studiorum in litteris elaborave- « rint sint instituendi docendique periti ».

B. *De recta ratione ac via Latinae linguae tradendae.*

Quae hac in re via ineunda proponitur non ea est quae ab acerrimo subtilique Germanorum doctorum ingenio ac disciplina

---

[23] Ad publicas scholas quod attinet perutilis videtur commentatio litteratissimi viri H. Tescari, cui index: *Un grosso problema: Il Latino,* in Actis Diurnis *Osservatore Romano,* 12 gennaio 1958, p. 3; conf. etiam Aem. Springhetti S. I., *Lingua Latina, Gloria Sacerdotum,* in *Monitor Ecclesiasticus,* 1951, IV, p. 661.

[24] Pius IX, Ex Epist. Encycl. *Singulari quidem,* d. 17 martii 1856, *Enchiridion Clericorum,* n. 338 (p. 172); *apud mem. lib.* p. 5.

[25] Leo XIII Ex Epist. *Plane quidem intelligis,* d. 20 maii 1885, *Acta Leonis XIII,* V, p. 61; *apud mem. lib.* p. 6.

[26] P. Ioannes Perpinianus S. I., *De ratione puerorum instituendorum litteris graecis et latinis,* apud Aem. Springhetti, *Selecta Latinitatis scripta Auctorum recentium,* Romae 1951, p. 82.

profecta plus aequo grammaticorum normis philologicis ac poene innumeris pervestigationibus indulget [27]; sed ea est quae grammaticae et syntaxis normis non nimiis, non verbosis, non contortis, sed brevibus, sed pressis, sed perspicuis, addiscendis congruo temporis intervallo assignato, potiores partes tribuit assiduae optimorum lectioni latinaeque scriptioni. Id quidem iure, cum, Tullio admonente (De Or. I, 4), usus frequens praecepta superet omnium magistrorum, et eo spectet ut eorumdem cogitata in succum et sanguinem suum, recta imitatione, adulescentes convertant.

Haec est ratio illa Latinitatis docendae, quae ab Italorum ingenio Italica appellata [28] praeclara adhuc viget in Societate Iesu, *Ratione illa Studiorum*, in cuius normis haec quoque, ut exemplum afferam, leguntur: « IV. *In scribendis thematis exerceantur quotidie pueri... Assuescant pueri et perspicuitatis in scribendo rationem habere quam maximam, et nihil mandare literis, quod vel M. Tullii vel aliorum classicorum auctoritate, sed praesertim M. Tullii, statim probare non possint.* VII. *In scholis quae huius rei capaces censentur, non nisi Latine loqui Doctores oporteret... Hora etiam recreationis Latini sermonis habeatur ratio* [29] .

Hanc viam ingressi tot tantique floruerunt, per saeculorum decursum, ab humanitate viri qui non litteras coluerunt modo, sed et scientias omnes sacras profanasque elegantissima latina dictione explicarunt, augusto saeculo non indigna. Horum in numero, inter alios, sunt Petrus Bembus, Iacobus Sadoletus, Hieronymus Fracastorius, Antonius Muretus, Marius Nizolius, Marianus Parthenius, Hieronymus Lagomarsinus, Hieronymus Ferrius aliique sexcenti, qui cum ad Patavinam, tum ad Venetorum splen-

---

[27] Ad rem ita Vincentius Tarozzi: « Neque tamen est animus partes improbare grammaticorum, tametsi genus illud obstrepere solet acrius, atque, ut nunc res eunt, curiosius laborat modo in scrutandis ab ortu nominibus et articulatim solvendis modo in iis coagmentandis componendisque », op. mem. p. 17; Confer quoque absolutam commentationem A. Bacci, *Adversus Grammatistas ac minutioris eruditionis amatores*, in *Latinitas* 1956, I, pp. 91 ss.; Aem. Sanesi, *Cato Grammaticus*, in *Latinitas*, 1955, III, 197 ss. Praeterea silentio praetereundum non videtur clarissimum Ioannem Bayet in Conventu ex omnibus Nationibus Avennionem mense septembris 1956 coacto ad instaurandum linguae Latinae usum, de Grammatica Latina in simpliciorem modum redigenda, cunctis adstantibus probantibus, dixisse. (*Latinitas*, 1956, IV, p. 296).

[28] I. Coppa, *De Italica Ratione Latinae Linguae docendae*, in *Latinitas* 1956, IV, pp. 199 ss.

[29] G. M. Pachtler, *Ratio Studiorum et Institutorum Scholasticae Societatis Iesu per Germaniam olim vigentes...* (*Monumenta Germaniae*, Pedagogica V), vol. II, Berlin 1887, p. 165.

didissimam Academiam pertinuerunt; qui omnes ad Ciceronis, Caesaris, Sallustii ceterorumque scriptorum Latinitatem propius accessisse visi sunt.

Quibus latinissimis viris ex recentioribus merito accensentur, inter alios, Vincentius Tarozzi et Alexander Volpini optimae Latinitatis scriptores [30] Leonis XIII aetate, qui et ipse fuit germanae Latinitatis politissimus cultor et vindex [31].

Ne tamen opinemur in uno Cicerone vel in ceteris antiquitatis romanae scriptoribus totam concludi latinitatem concepte monemur ut magni quoque aestimemus *totius Latinitatis auctores* [32], « qui tum incorrupta verborum integritate, tum dicendi genere ad aureae aetatis magistros iure accesserint »: Spatiandum gitur ad SS. Patres, praesertim elegantioris Latinitatis et ad optimos recentesque auctores qui et emendate scripserunt et nova inventa novaque cogitata novatis verbis aptissime exprimere valuerunt [33].

Nihil mirum! Latinus enim sermo *classicus* vulgato nomine vocatus, qui Ciceronis, Vergilii, Caesaris, Liviique aetate summum perfectioni, fastigium attigit, Romano extincto imperio, et ipse occidit; nec eius usus revirescere pervulgarique potest.

Lingua igitur Latina, quae in spem veteris gloriae revirescat oportet, ea est, quam viri docti, ad exitum usque, saeculi XVIII, uti omnium doctrinarum aptissimum commercium adhibuerunt [34].

---

[30] I. Parisella, *De Vincentio Tarozzi Carminum et titulorum conditore*, in *Latinitas* 1956 II, pp. 137 ss.; Id., *De Vincentio Tarozzi pereleganti Prosae Orationis Scriptore*, in *Latinitas* 1956 III, pp. 215 ss.; Zannoni, *De Alexandri Volpini optimae in Romana Curia Latinitatis restitutore praecipuo*, in *Latinitas* 1958 I, pp. 21 ss.

[31] A. Bacci, *De Leonis XIII Latinitate quinquagesimo exacto anno ab eius obitu*, in *Latinitas*, 1953 IV, pp. 253 ss.

[32] Id tamen non impedit quin ex Latinis scriptoribus Cicero praeferendus dicatur, non modo quia in eius scriptis tam composite unaquaeque res, tam illuminate tamque sapienter eminet, ut valeat in omnes partes laus illa et adhortatio Quintiliani: « Hunc spectemus, hoc propositum sit nobis exemplum; ille se profecisse sciat cui Cicero valde placebit (hist. or. X, 1); sed etiam quia summus Romanorum orator is est cuius haud paucae sententiae ad divinam Evangelii lucem accedere videantur (Prooemium Cardinalis Barbarigo in M. Tullii de Officiis libri tres etc. Patavii 1685-1693; G. Bortolaso, *Valori umani nella filosofia di Cicerone; Civiltà Cattolica*, 7 dicembre 1957, pp. 473 ss.; P. Bruno, *Ciceroniana*, Romae 1957; I. Parisella, *Cicero contra mendaces*, in *Latinitas*, 1955, III, p. 187.

[33] H. Tondini, *Linguam Latinam ad omnium doctrinarum commercium esse ubivis aptam exemplis demonstratur*, in *Latinitas* 1955, I, pp. 24 ss.

[34] A. Bacci, *De Ecclesia Latinitatis fautrice*, in *Latinitas* 1955, I, p. 18. Plurimi sane faciendus liber ille aurus cui index *Catechismus Romanus*, non solum ob uberem doctrinam, sed etiam propter sermonis elegantiam.

Id Latinitatis genus, quamvis antiquam suam indolem suasque leges et grammaticae et syntaxis bene definitas et certas servet et tueatur, non exornatur, uti par est, illa imaginum sententiarumque copia et venustate quae in scriptorum ethnicorum operibus reperiuntur; illud tamen praesertim humaniorum litterarum instauratores, qui ab humanitate viri appellantur, flexibilius aptiusque instrumentum effecerunt, novis verbis locupletatum ad novas scientiae pervestigationes scite exprimendas.

Qua in causa quoque rectum iter inivit pergitque Ecclesia, cuius ope Latinitas, ab invecta Christiana Religione, perennitatem interituram nunquam adepta est, quippe ea non uno latinitatis genere utatur, sed modo *classicam* adhibeat linguam, modo seriorem, modo cadentem, modo infimam « pro varia rerum opportunitate rationeque... Multa praeterea a Christianis scriptoribus, cum de nostra religione agitur, mutuatur; multa enim etiam alia — ea praesertim, quae *technica* hodie graeco nomine dicuntur — vel a philosophis ac theologis, vel a ceteris humanarum artium disciplinarumque cultoribus iam usurpata, libere utiliterque sibi assumit, quae ad nova cogitata novasque res necessaria prorsus videantur » [35].

Animadvertant tamen vaferrimi Latinitatis, quae ecclesiastica dicitur, insectatores illam hoc nomine decorari, non quia ex incondita sermonis latini vulgaris et christiani permixtione profecta in barbariem decidit, sed quia illa utitur Ecclesia in suis actis et documentis; atque pura est, perspicua, elegans; prudentique libertate praedita ea, usitatis legibus, verba novandi, quae, ut nostrae aetatis inventa perbelle describantur sint necessaria. Id luculenter commonstrant *Acta Apostolicae Sedis,* in quibus, ut exemplum afferam, maximo cum animi oblectamento, legi possunt recentissimae Litterae Encyclicae « Miranda prorsus » d. 8 Sept. 1957, *de re cinematographica, Radiophonica ac Televisifica* [36].

Hanc vivam ingressi vitalem Latinitatem excolere et provehere omni contentione et studio connituntur Commentarii qui *Latinitas* inscribuntur: « in iis enim non solum philologicae pertractantur res » sed etiam « specimina politae ornataeque orationis sive solutae sive astrictae versibus, praebentur, quae audacter dicam, consuetudinem Latinitatis cultorum, qui ab humanitate appellantur, repetere videntur; ac denique plurima verba nova proponuntur, quibus res, quas haec peperit aut induxit aetas quaeque,

---

[35] A. Bacci, Ibid.

[36] *A.A.S.* 49 [1957] pp. 765, 805; A. Bacci, *L'Universalità della Lingua di Roma,* in *Il Latino lingua viva della Chiesa,* Roma 1957, p. 9.

hanc ob causam, Romanis erant incognitae, Latine redduntur [37].

C. Tandem, quo facilius sacrorum alumni Latinam linguam calleant, « quam scientia et usu habere perceptam non tam humanitatis et litterarum quam religionis interest » [38], Sacrum Consilium Seminariis Studiorumque Universitatibus praepositum valde commendat ut eis iusta detur latinae linguae discendae facultas. Praesertim igitur in quibusdam Seminariis praelectionum horarum numerus augendus est, quin excusare valeat necessitas Studiorum rationem sequendi a Societate civili praestitutam « ut gradus academicos publice probatos » alumni sibi acquirere possint. « Nam Ecclesia ad sacrorum alumnos rite instituendos, cum suos peculiares habeat ac prosequatur fines, suis quoque utitur legibus, quibus nullo pacto se abdicare potest; ceterum esse Seminaria, in quibus tirones et latine discant et gradus academicos sibi comparent, omnibus compertum est ».

Hactenus haec; egregii enim Commentariorum Moderatores clepsydram iam dedere, nec amplius igitur disserere licet. Altius in dies, benevole lector, tuae menti insideat Romanorum sermonem, quamquam ore hominum usurpari paene desitus est, unum reliquum esse « qui apud omnes et colatur et celebretur » [39], praesertim a Sacrorum administris, nisi velint « lamentabili mentis laborare squalore » [40].

Utinam ex clericorum ordine exoriantur qui alacrioribus in dies animis et velis, ut aiunt, remisque insistant, ut revirescat Latina lingua pleniusque excolatur! *nam per hanc unam cum omnibus hominibus iungere commercium possumus, et Babelicae turris incommoda compensare* [41].

INNOCENTIUS PARISELLA

[37] C. EGGER, apud Rodomontem Gallicani, *Alterius certaminis Vaticani Victores sollemniter renuntiati iidemque praemio donati*, *Latinitas*, 1957, III, pp. 169-170; Id. *De Novandorum Verborum Rationibus quas viri servant hisce Commentariis praepositi*, *Latinitas* 1956, IV, pp. 243 ss.; A. BACCI, *Lexicon eorum vocabulorum quae difficilius Latine redduntur*, Romae 1955; G. ANTONIBON, *Avviamento al conversare latino*, Padova, Draghi 1929; Id., *Parole moderne tradotte in latino*, Padova, Draghi 1935; A. CIMA, *Teoria dello stile latino*, Torino, Paravia 1892; L. COGNASSO, *Il latino per l'uso moderno*, Torino, S. E. I. 1936; CH. DUMAINE, *Conversations latines*, Paris, Tralin 1930; G. B. GANDINO, *Lo stile latino*, Torino, Paravia 1956 (46ª ristampa).

[38] PIUS XI, Ex Epist. Ap. *Officiorum omnium*, d. 1 augusti 1922, *A.A.S.* XIV, p. 453; *apud mem. lib.* p. 11.

[39] H. FERRIUS *Ep. XXX*, p. 165; I. PARISELLA, *Hieronymus Ferrius incorruptae Latinitatis vindex*, *Latinitas* 1957, III, p. 233.

[40] PIUS XII, Ex Serm. *Magis quam* d. 23 sept. 1951, *A.A.S.* 43, p. 737.

[41] I. FACCIOLATI, *Orationes et alia ad dicendi artem pertinentia*, Patavii 1744, p. 442.

JURISPRUDENTIA
SACRÆ ROMANÆ ROTÆ
ALIORUMQUE TRIBUNALIUM ECCLESIASTICORUM

SACRA ROMANA ROTA

VELITERNA

Coram R. P. D. Petro Mattioli, *Ponente.*

Nullitatis sententiae ac Jurium

(Sac. Milita, heres rev. di Magni - Congregatio Soror. Pretios. Sanguin.).

(*Incidentia de gratuito patrocinio et de admissione libelli*).

Sententia, die 28 iulii 1954

Status quaestionis.

Sacerdos fel. rec. Gregorius Magni, tunc oeconomus parochus S. Luciae, Velitris, die 18 decembris 1922, dato libello Tribunali Curiae Veliternae, in jus rapuit Congregationem Sororum Adoratricum Pretiosissimi Sanguinis ad vindicandam proprietatem certae domus seu villae, cum praedio rustico adnexo: quae, etsi per actum publicum a praefata Congregatione acquisita videbantur, *sibi exclusive* idem sacerdos pertinere clamabat, vi declarationis cuiusdam, quam Sorores per scriptum privatum et secretum illi ipsi dederant.

Tribunal invocatum, post completam causae instructionem, per sententiam diei 10 maii 1924, praetensa actoris excludens omnino, definitive decisit: « La proprietà e l'uso dello stabile in questione spetta alle Suore del Preziosissimo Sangue ».

Appellavit actor hoc Apostolicum Tribunal, sive ad propugnandam nullitatem sententiae Veliternae, sive ad praedictum suum jus adhuc vindicandum. Sed, in turno coram R. P. D. Mannucci, post suppletivam instructionem, die 13 augusti 1926, decisio prodivit:

« 1°) Non constare de nullitate sententiae Curiae Veliternae; 2°) Proprietatem et usum aedium et praedii adnexi adjudicandam esse Congregationi Sororum Adoratricum Pretiosissimi Sanguinis, ad formam can. 533, § 1, nn. 3-4, et can. 535, § 3, n. 2 ».

Recurrit actor ad Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae, apud quod, cum dubium propositum fuisset: « An sententia Rotalis diei 13 augusti 1926 circumscribenda sit, in casu, vel saltem recurrenti concedenda sit restitutio ad integrum », responsum die 28 jun. 1927 datum est: « *Negative ad utrumque* ».

Iterum recurrit actor, sed die 18 jan. 1928, responsum accepit: « ***In decisis*** ».

Post haec, morte correptus die 26 febr. 1929, praedictus sacerdos non amplius insistere potuit, quin imo, si quoddam causae documentum attendendum est, ipse tandem Auctoritatis Ecclesiasticae decretis se submisisset; scriptum autem submissionis huius testimonium desideratur.

Tunc, in vim testamenti ologràphi, a sac. Magni redacti *die 26 maii 1922* (bene advertas: *antequam* causae initium dedisset), rev. can. Joannes Milita, heres universalis constitutus, cum expresso mandato proprietatem supra descriptam vindicandi, Summum Pontificem adivit, precibus porrectis die 1 maii 1932, ad obtinendam restitutionem in integrum adversus Sententiam Rotalem.

Preces huiusmodi, quas Summus Pontifex Signaturae remittendas mandavit ut de eis Supremum Tribunal judicaret, a Tribunali eodem, die 23 dec. 1933, reiectae fuerunt.

Denuo recurrit can. Milita die 9 apr. 1935 et die 3 febr. 1936; sed Signatura, die 29 maii 1937, ita rescripsit: « ... proposito recursu sac. Joannis Milita, exhibito die 9 apr. 1935, una cum posterioribus additamentis adnexisque documentis, decisum fuit: *Recursum esse reiiciendum*, spectare autem ad Eminentissimum Ordinarium providere fideli adimplemento piae voluntatis Fundatoris, ad normam Juris ».

Recurrit adhuc can. Milita ad Summum Pontificem die 20 maii 1938; et institit die 8 junii 1938, die 5 julii 1939 ac die 29 novembris 1940.

Responsum prodivit a Signatura die 6 martii 1941: « *In decisis die 29 maii 1937* ».

Non acquievit can. Milita, et, die 2 apr. 1941. adhuc Summo Pontifici preces porrexit; sed, die 1 insequentis maii, Signatura respondit: « In congressu habito in sede S. T., coram E.mo Cardinali Praefecto, proposito recursu a can. Joanne Milita, tamquam herede sacerdotis Gregorii Magni, dato die 2 aprilis 1941, ad impetrandum ut causa de qua supra deferretur ad Plenariam Signaturae cum beneficio patrocinii gratuiti pro recurrente, decretum es: *Quoad Congressum, in decisis; et quoad gratuitum patrocinium pro Plenaria Signatura: Negative* ».

Ulteriores rev. di Milita recursus ad Summum Pontificem in actis legere datum est die 28 apr. 1942, die 4 nov. 1944 et die 13 febr. 1945. In quo postremo, mira ac prorsus nova assertio continetur: i. e. Sententia Rotalis diei 13 augusti 1926, juxta recurrentem, iam nulla a Signatura Apostolica declarata fuisset.

At, ubinam gentium haec nullitatis declaratio invenitur? Et, si umquam data, ut quid recurrens eo usque indesinenter institerat? Quid amplius optandum atque impetrandum habebat?

Nec satis. nam in eodem recursu prorsus nova ac mira petitio

etiam continetur: nempe, dum actor, usque ad diem illum, semper institerat ad obtinendum quod Sorores Pretiosissimi Sanguinis dimitterentur et aliae (juxa mandatum in testamento receptum) earum loco ponerentur, in citato recursu postulat « di rivendicare *e di ritenere per sè* il detto fondo, affinché (il ricorrente) abbia un tetto ove possa ricoverarsi, rifornirsi del necessario alla vita, e ritrovare l'onesto sostentamento ».

In iisdem recurrens institit, datis memorialibus die 17 dec. 1945 et die 15 mai 1947.

De 3 junii 1947, decrevit tandem Signatura: « *In decisis die 1 maii 1941* », ac decretum hoc Summus Pontifex, in audientia Eminentissimi Praefecti diei 10 junii 1947, expresse adprobavit.

Recurrit, hoc non obstante, can. Milita, sub die 26 junii 1947, et sub die 10 decembris 1949; sed, die 7 febr. 1950, responsum obtinuit negativum.

Postremus recursus ad Summum Pontificem, die 22 apr. 1950 oblatus, simpliciter lectus fuit.

Itaque, rev. Milita, postquam per lapsum duodeviginti annorum, eadem plus minus semper repetens, a Signatura Apostolica inexauditus dimissus fuerat, iterum Tribunal dioecesanum Veliternum adeundum retinuit, libelloque exhibito die 11 julii 1953 Eminentissimo Cardinali Episcopo, petivit ut:

1°) *in linea principali*, de sententiae Veliternae diei 5 maii 1924 nullitate videretur: quae nullitas, juxta actorem, ex ipsis juris naturalis praeceptis sequeretur;

2°) *in linea subordinata*, restitutio in integrum concederetur, vi nonnullorum documentorum, *nunc* tantummodo repertorum (cfr. can. 1905, § 2, nn. 1-2);

3°) de proprietate bonorum iterum statueretur: cuinam, nempe, proprietas, et cuinam eorum administratio spectat, itemque an Fundatori, et, pro eo, legitimo successori jus sit administrationem eorumdem alii Religiosarum Congregationi concredere.

Tandem, libellus hac vere mira assertione concluditur: « Per quanto riguarda, poi, la sentenza Rotale coram Mannucci, essa sostanzialmente è stata demolita, nella sua base, dalla Segnatura Apostolica, ove rivendicò in Congresso la veridicità dei due sacerdoti, il P. Cerbara, somasco, e il sottoscritto, accusati dalla sentenza rotale addirittura di spergiuro. Data la mia povertà, chiedo il gratuito patrocinio ».

Non est cur heic aliquid adiiciatur circa memoriale eidem libello adnexum, in quo eadem plus minus repetuntur, vel enucleantur, et alia asseruntur quae ad rem non sunt.

Cum Tribunal Curiae, intra terminum a Jure statutum, non significaverit se libellum acceptasse vel reiecisse, institit actor ad

normam can. 1710; sed, responso adhuc non suscepto, Nostro Sacro Ordini recurrit.

Heic, a Turno rite constituto, suscepto prius voto E.mi Card. Episcopi Veliterni, expostulatum fuit, pariterque obtentum, per rescriptum Decani diei 26 apr. 1954, quod causa advocareur S. Rotae, pro judicio de merito, etiam in prima instantia.

Ex tunc, infrascriptus Ponens, praecisione facta a partium paupertate, ne scilicet jura uniuscuiusque debita protectione ac defensione defecissent, constituendos curavit advocatos ex officio.

Requisivit insuper informationes de re familiari postulantis, ad normam can. 1915, § 2; tandem, dato decreto die 25 maii, terminos constituit judicialis disceptationis, ac diem propositionis incidentium determinavit, in quo quaestiones sequentes discutiendas ac diluendas mandavit, videlicet:

I° - An gratuiti patrocinii beneficium concedendum sit, in casu.

II° - An libellus formiter acceptari debeat, ita ut fas sit ad ulteriora procedere quoad meritum quaestionum propositarum.

In Jure.

A) - *Beneficium patrocinii gratuiti* in foro elargiendum regitur, ut nemo ignorat, normis in C. J. C., lib. IV, tit. XVI, cap. II expositis. Vi quarum, allegans suam paupertatem demonstrare tenetur: 1°) quae sit eius conditio quaeve eius rei familiaris copia; 2°) quod non futilem nec temerariam causam agere intendat.

Ubi agatur de causis spiritualibus vel bonum publicum respicientibus, constanter ecclesiastica officia, de his, aliquali largitate et indulgentia judicarunt.

B) - *Admissio libelli*, vel eiusdem reiectio, regitur praescriptionibus C. J. C., lib. IV, tit. VI, cap. I.

Utique, in ipsis expresse non numerantur causae vel vitia, ob quae libellus reiici debeat. Simpliciter innuitur dari vitia, quae emendari possunt, et ex hoc facile inducitur dari posse etiam vitia, quae emendari nequeunt. Ipsa ratio suadet talia ex quadruplici praesertim capite contingere posse, idest: 1°) Ex incompetentia Tribunalis invocati, ad normam lib. IV, sect. I, tit. I, et ceterorum canonum, qui negocium hoc respiciunt. Quo in casu, juxta Rotae stylum rescribitur: « *Utatur actor jure suo, si et quatenus, et coram quo de jure* » (Norm. S. R. R., art. 146, § 4).

2°) E defectu in actore, vel in convento, legitimae personae standi in judicio (c. 1708, § 1).

3°) Ubi indicationes, quae saltem vage indicantur ad affirmandum et sustinendum proprium jus, licet undequaque verae, impares evidenter sint ad comprobanda ea quae asseruntur (c. 1708, 2°).

4°) Ubi falsitas indicatorum argumentorum sit in aperto (quoad hunc, et quoad num. praecedent., cfr. ex analogia Instr. « Provida Mater » S. C. de Sacram., die 15 aug. 1936 data, art. 64).

In Facto.

A. - *De gratuito patrocinio:*

Actor, in libello, suam assertam paupertatem roborat testimonio, scriptis dato, die 30 nov. 1953, a rev. P. Caesare De Negri, parocho S. Francisci in Monte Malo, de Urbe, cuius territorio domus actoris pertinet.

Sed praefatus parochus, a Nobis, die 21 januarii curr. a., sub juramento interrogatus, edixit quidem sibi constare rev. Milita omnia sua, et ipsam veliternam domum, in eventibus bellicis a. 1943, perdidisse; nihil autem sibi notum esse de recuperatis ab eodem, nec, in genere, *de praesenti* eius condicione.

Curia Veliterna, pariter a Nobis interrogata, paupertatem postulantis praefracte denegavit.

Quae quidem ipsi postulanti obiecta fuerunt per litteras Cancellariae diei 22 januarii: in quibus insinuatum fuit, inter bona patrimonialia, etiam illa adnumeranda esse, quae postulanti, qua heredi, per testamentum pervenerunt.

Multa, sub die 6 februarii, interpellatus respondit, inter quae gratuito prolata, vel patenter incongrua, non desunt: ita ut, si benigniores esse velimus, eius paupertas, propter ipsa eadem sua asserta, *dubia* haberi debeat.

At, extante dubio huiusmodi, non est cur ipsi favendum sit.

Non enim fit quaestio de salute spirituali agentis vel alius cuiuscumque, nec de quaestione ad bonum publicum pertinente agitur, sed simpliciter de juribus mere privatis unius personae, quae jam vita functa est. Attendatur, insuper, rev.do Milita, qua tali, jus nullum competere, nullumque officium, reivindicationis, cui inhiat, promovendae; sed solummodo ipsi, *qua heredi* defuncti sac. Magni. Absonum autem esset huiusmodi reivindicationis onus ipsi agnoscere *ultra vires susceptae hereditatis:* quam fere ex toto evanuisse ipse idem affirmat, ob ingentes summas quas profundere debuit pro quadam causa poenali. Bonis hereditariis legitime consumptis, jam evidenter patet onus quodcumque (si tamen ullum umquam *legitime* suscepit!) pro ipso, *qua herede*, penitus cessasse. Absurdum, enim, et omnino iniquum, esset expensas huius causae, in qua disputandum esset de juribus mere privatis, quae neque Ecclesiam neque cuiuscumque conscientiam onerant, super umeros Sanctae Sedis imponere. Maxime, ubi attendatur quod nullus, inter Episcopos Veliternos, qui hisce annis in Sede regenda succes-

serunt, causam hanc probavit, nec dispositum se praebuit ad Religiosas Pretiosissimi Sanguinis dimittendas, et ad alias recipiendas. Nullus, unquam, si Cardinalis Cerretti, fel, rec., excipiatur. At, data et non concessa veritate talis asserti actoris, relevandum est Cardinalem Cerretti exigui temporis lapsu Signaturae Apostolicae praefuisse, et paucis tantummodo diebus dioecesi Veliternae: ita ut vix, de negocio tam implexo, plenam notitiam suscipere potuerit.

Restat inquirendum de bono actoris jure in causa agenda. De hoc plura patent ex jam dictis et consideratis, sed longe plura dicenda erunt in altero tractationis capite. Pro nunc relevasse sufficiat rev. Milita per duodeviginti annos apud Sanctam Sedem, i. e. apud Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae, institisse, sed frustra, ad gratuitum patrocinium obtinendum. Nec postulanti ullo modo succurrit assertio, pluries sed gratuito repetita, juxta quam tale beneficium ipsi Cardinalis Cerretti jam concesserat, item nec status verae indigentiae, quem idem postulans obiecit in recursibus a. 1944 et a. 1945 oblatis, cum omnia fere amiserat.

Quae, quidem, jam de se, ubi stylus Romanae Curiae in huiusmodi perpendatur, luculentum argumentum offerunt de temeraria agentis praetensione ac de cuiusvis boni juris defectu in reivindicatione, quam promovere vult.

B) - *De admissione libelli:*

Tractationi quaestionis huius statim praemittenda est absoluta refutatio ac reiectio assertorum illorum: « Per quanto riguarda, poi, la sentenza Rotale coram Mannucci ecc. », quibus rev. Milita, libellum concludens, de decisis ac praeceptis a praedicta Rotali sententia, *incredibili audacia*, se liberare satagit.

Nam, praelaudata sententia Rotalis, reapse, neque nulla umquam declarata fuit (sicut actor, inter cetera mendacia, coram Signatura aliquando esserere ausus est, ut vidimus), neque in suo fundamento destruitur, aut pacto ullo extenuatur, per ea quae actor asseverat et ultra modum extollit, eorum verum sensum exterquens. Etenim:

a) *Non* Congressus Signaturae Apostolicae, sicut rev. Milita contra veritatem proclamat, sed unus ex praelatis referendariis verba illa conscripsit, per quae actor arbitrarie vim sententiae Rotalis destruere vellet. Verba autem haec sunt: « Dall'esame dei documenti medesimi rimane maggiormente confermato l'onorabilità del can. Milita e del P. Cerbara, dei Somaschi ».

Attamen, per relata verba non tam aperitur mens scribentis super honorabilitate sacerdotum, de quibus est sermo, quam potius

relevatur nonnulla documenta (i. e., ea quae rev. Milita produxerat, ut e contextu) honorabilitatem personarum in themate confirmare. Quod et Nos admittere parati sumus, dum gravi maerore afficimur, animadvertendo complura alia causae elementa ac documenta prorsus oppositum judicium imponere.

b) Ceterum, ex verbis laud. praelati referendarii non consequi id quod actor praetendit, his sequentibus probatur: *primo*, quia sententia Rotalis non argumentatur solummodo, pro jure Religiosarum affirmando, ex falsitate testium contrariorum, sed etiam ex compluribus luculentissimis probationibus et adminiculis: quorum vis non destituitur etiam si a depositionibus rev.di Milita et rev.di Cerbara abstrahatur; *secundo*, quia ille ipse referendarius, auctor verborum supra relatorum, pro reiectione petitionis oratoris conclusit.

Altum, igitur, Patres de turno proclamarunt sententiam Rotalem « coram Mannucci », diei 13 augusti 1926, firmissime in suo robore atque efficacia permanere, eiusque statuta, illis primae instantiae apprime conformia, *rem judicatam determinasse.*

Quibus in tuto positis, ad examen singulorum, quae per libellum petita fuerunt, deveniendum est.

1°) *De nullitate sententiae Tribunalis Curiae Veliternae.*

Patronus actoris, in sua scriptura diei 19 maii, primum nullitatis sententiae Veliternae motivum in eo vidit quod Congregatio Sororum Pretiosiss. Sanguinis indebite — ut tenet — tamquam pars conventa comparuit, non habens in hac causa personam standi in judicio. Nam — ut praetenditur — in actione petitoria Ordinarius, et non Congregatio praedicta, in jus vocari debuisset, tamquam pii operis tutor.

Sed obstat decisio, quam sententia Rotalis dedit, quamque in rem judicatam transivisse nemo infitiabitur. Decisit, nempe, Rotalis sententia non agi, in casu, de opere pio, personam juridicam habente, sed de fundatione domus religiosae cum oneribus nonnullis adnexis: pro qua, igitur, recte Congregatio, cui domus pertinet, et, pro Congregatione, Generalis Antistita in judicio tamquam pars conventa comparere debuit.

Alterum nullitatis motivum a Patrono deducitur — vi juris naturalis — ex animo infenso judicum Tribunalis Curiae Veliternae: qui bene prodivisset ex depositionibus, quas praedicti, tamquam testes, reddiderunt in processu poenali, a rev.do Milita instaurato, contra D.num Giorgioni.

Age vero: in can. 1613 praescribitur: « Judex cognoscendam ne suscipiat causam, in qua ratione... *magnae* simultatis aliquid ipsius intersit etc. ».

Sed sanctio nullitatis non statuitur (cfr. can. 11).

Nec nullitatem, in casu, a jure naturali profluere dicendum est. Etenim, salutem et justitiam ex inimicis nostris provenire posse, quid credere vetat? Ad summum, igitur, in his casibus, quaestio moveri posset de restitutione in integrum, ob *praesumptionem* doli, quae facile conceditur. Sed intra quadriennium proponenda est.

At, data et non concessa praetensa judicum simultate erga rev. Magni, haec certe *non magna nec evidens* esse debuit, si sacerdos praedictus, tunc actor, de ea, in limine litis, vel lite currente, numquam conquestus est.

Restat insuper demonstrandum talem simultatem ortum habuisse *ante*, et non *post* sententiam datam a Tribunali Curiae. In casu, praesumi debet quod huiusmodi simultas (si tamen umquam extitit: quod absolutissime negandum est!) *post sententiam, et non ante*, exarsit: nam multa, eaque maxime odiosa, in exsecutione sententiae contigerunt, ut ex actibus liquet.

Postremo, autem, attentissime cribanda est accusatio in Judices Curiae Veliternae prolata.

Judices fuerunt rev.mus Raphaël Angeloni, nunc def., rev.mus Angelus Fabiani, pariter def., et rev.mus Rogerius Tredici.

Alter, e dictis, in processu contra D.num Giorgioni tamquam testis non comparuit, nec aliunde constat quidvis minus gratum in rev. Magni umquam protulisse. Ideo, saltem iste, sine ullo dubio, suspicioni obnoxius non est, ac laudabilis non est actor cum, indiscriminatim, *omnes* judices accusavit.

Primus, i. e. r.mus Angeloni, haec, tamquam testis, in laicali processu deposuit: « E' a mia conoscenza che don Gregorio Magni era legato con forte amicizia al Milita, il quale anzi era consigliere intimo ».

Bene quidem: sed haec omnibus notissima sunt nec aliquid offensae in quemcumque continent. Quod deinde rev.mus Angeloni addendum in suo testimonio tenuit, *non* tamquam sui judicii vel suae persuasionis fructum Officio inquirenti obtulit, sed tamquam vocis communis argumentum, pariterque ut Eminentissimi Cardinalis Pompilj, Episcopi Veliterni, sensum. Haec sunt igitur testis verba:

« Anzi, a detta di tutti, sarebbe stato il Milita a spingere il Magni, assistendolo poi nei dievrsi gradi del giudizio, in una causa contro le Suore del Preziosissimo Sangue, circa un lascito di un villino e vigna. So pure che S. E. il Card. Pompilj ha sempre disapprovato l'amicizia tra il Magni e il Milita, sapendo che questi suggestionava il primo, e ciò appunto nei riguardi della causa di cui ho parlato ».

Nunc, autem, quod fama publica, Velitris, ita res referret ac judicaret, quodque Eminentissimus Episcopus Pompilj amicitiam in themate reprobaret, denunciatae suggestionis gratia, omnino veritati congruit. An de facto fama pervulgata, ipsaque Cardinalis Pompilj persuasio ac reprobatio, obiective recta fuerit, Deus scit: stat autem quod rev.mus Angeloni, in his referendis, testis veridicus et fidelis haberi debet, qui nihil contumeliae aut injuriae, suo testimonio, rev.do Magni attulit. Sed pariter stat rev.dum Milita in justitiam et veritatem commisisse cum, generice, judices veliternos *de falso reddito testimonio* arguit, ac de infenso animo in rev. Magni.

Tertius, i. e. rev.mus Tredici, sic in judicio fatus est: « Le Autorità Ecclesiastiche, e per primo il Card. Pompilj, più volte hanno rimproverato il Magni, non vedendo di buon occhio l'amicizia di questo col Milita, il quale suggestionava il Magni, facilmente impressionabile e affetto da mania religiosa, inducendolo a commettere varii errori ».

Id quod rev.mus Tredici E.mo Pompilj attribuit verum esse, patet ex omnibus huius causae actis; quoad judicium, a r.mo Tredici de sac. Magni pronunciatum (« facilmente impressionabile e affetto da mania religiosa »), nec per se injuriosum est, nec odium proferentis revelat. Utrum tale judicium obiectivae veritati responderet, Nostrum definire non est; attamen rev.mus Tredici, quod ita senserit, improbari non potest: complura enim scripta et acta sac. Magni judicium supra relatum saltem fundatum demonstrant. Quod et E.mus Card. Episc. Pompilj satis confirmavit.

Quid igitur restat de accusationibus, quas, sero nimis, rev. Milita in judices Curiae Veliternae affert?

Nihil prorsus! Et, ex hoc, ulterius argumentum conficitur pro temerarietate ac futilitate causae, cui rev. Milita locum dare vellet.

2°) *De restitutione in integrum vi can. 1905, § 2, n. 2.*

Ad hoc obtinendum, sequentia actor ostendere deberet: a) documenta fuisse *nunc* reperta; b) eadem facta novam et contrariam decisionem exigentia *peremptorie* probare.

Neutrum rev. Milita ostendit, et eius omnes argumentationes fatuitate et ambiguitate laborant:

Primum documentum, quod asseritur nuper repertum, est epistola rev. Sor. Franciscae Emanuelli, Antistitae Gen. Congregationis Pretiosissim iSanguinis, data ad rev. Magni die 12 apr. 1919.

Cur et quomodo tam sero hanc epistolam reppererit, actor non explicat. Verba maxime momentosa (juxta actorem), huius epistolae, sequentia sunt: « Io non ho nulla in contrario su quanto mi propone, e sembrami vada bene così ».

Sed, vel ridicolum est hodie talia verba in medium proferre, eaque extollere tamquam caput et cardinem solutionis! Restat enim stricte probandum quid, reapse, rev. Magni Antistitae Generali proposuerat. De hoc, nihil in epistola!

Utique, can. Milita supra relatorum verborum commentum atque interpretationem exhibere favet, scribens: « con questa lettera, suor Francesca Emanuelli risponde a quella di don Gregorio, che proponeva soltanto d'intestare il fondo alle Suore, e di avere da esse la controdichiarazione in cui attestano essere acquirenti fittizie ».

Teneat can. Milita, si illi placeat, hanc opinionem; sed ab ea cuicumque suggerenda aut imponenda abstineat. Nedum, enim, eius interpretatio peremptoria haberi non potest, sed gratuita, arbitraria et falsa invicte probatur ex tenore epistolae a rev. Magni, die 6 maji (i. e., die tertia post contractum acquisitionis domus et fundi, a Sororibus initum) eidem Moderatrici Generali Congregationis datae. In hac epistola scriptum reperitur: « Rev.ma Madre Generale, finalmente, grazie a Dio, *il villino è assicurato per sempre a cotesta Congregazione* ».

Quid, autem, adjudicatum erat « per sempre » Religiosarum Congregationi, si rev.dus Magni nihil prorsus dederat, nihilque donaverat?

Adhuc, in epistola: « Auguriamoci che i propositi del socialismo e dei nemici della Chiesa rimangano inefficaci, altrimenti tutto il mio ideale svanirebbe. Però, in previsione di uno sconvolgimento sociale (qualis re vera in Italia tunc temporis probabilis videbatur), di scioglimento e persecuzione di Congregazioni religiose, affinché il villino non vada in mano di persone estranee, *desidererei* che le tre Suore acquirenti mi rilasciassero, in carta bollata di lire due, la seguente dichiarazione ecc. (sequitur declarationis textus, quem proponit) ».

Nunc, vero, ex horum verborum sensu obvio, nedum desumitur quod rev. Magni aliquid prorsus novum, de quo anteacto tempore sermo institutus non fuerat, proponebat exsequendum, sed etiam clarissime patet ratio praecisa, propter quam sacerdos talia proponit, tandem evidens est forma valde *submissa* (veluti illius, qui simplex consilium proponit, et non certe jussum imponere intendit!) qua propositum exprimitur. Alia prorsus verba aliamque formam sac. Magni, certo certius, adhibuisset si tamquam dominus egisset, in ordine ad ea quae, anteacto tempore, pacta atque conventa fuerant.

Unde, primum documentum, quod actor nuper repperisse gratis affirmat, nullius prorsus roboris est, relate ad petita.

Alterum documentum, quod audacter rev. Milita *novum* proclamat, est copia photographica illius declarationis, quam Sorores rev.do Magni, ob petitionem ab eo submisse factam, die 15 maji 1919 dederunt.

Sed in hoc proprie nihil novi est; nam de huiusmodi amplissime ac frequentissime mentio facta est sive in sententia Rotali, sive in questionibus apud Signaturam Apostolicam agitatis. Et inutile prorsus est copiam photographicam huius documenti extollere, ut *nunc* repertam, cum optime sciebatur, usque a limine litis, originalem declarationem depositam fuisse, jussu E.mi Card. Pompilj, in archivo Sacrae Congregationis de disciplina Religiosorum.

Neque sententia Curiae Veliternae, neque sententia Rotalis umquam dubium admiserunt de existentia documenti, vel idem ut spurium habuerunt, quin imo de eodem rectum sensum constabilire sategerunt. Ut quid, ergo, nisi ad confusionem producendam, vel augendam, inventa *hodie* copia photographica extollitur ac ut submittatur recognitioni redigentium praetenditur?

Tertium documentum, *nunc* inventum, est epistola a Moderatrice Gen. Congregationis Pretiosiss. Sanguinis data sub die 27 febr. 1920. Sed et haec nihil confert negocio, quod tractandum est.

Scribit patronus rev. di Milita: « La Superiora, in coscienza, con la sua lettera riconosce che don Magni è proprietario dei beni, il quale pertanto ha l'obbligo di denunciarli, in luogo delle fittizie proprietarie, semplici intestatarie. Di fatti, la denuncia fu fatta dal rev. Magni, come risulta dal catasto ».

Haec autem acceptari non possunt. Nam, praeter quam quod actus, de quibus quaestio est, magis administratoris sunt proprii, quam domini, restat considerandum quod rev. Magni, tunc temporis, pro Sororibus parvae domus Veliternae, et pro Congregatione cui pertinebant, multo plus erat quam administrator aut dominus donatorum bonorum: ipse, enim, cui, ut summo benefactori, et sacerdoti praeclarae virtutis, Sorores omnia concrediderant, in foro externo et interno, libere de omnibus disponebat, etiam, aliquando, forte non mala fide, abutens hac privilegiata condicione (ut patet ex actis).

3°) - *De actione ex testamento.*

Scribit Patronus rev. di Milita: « Ancora più subordinatamente, l'erede can. Milita intende esperire l'*actio ex testamento*, da cui l'istante è costituito erede ed esecutore testamentario, per affidare l'opera pia alle Suore designate dal *de cuius*, come precisato nel libello ».

Sed evidenter, can. Milita ignorare fingit quod rev.dus Magni non poterat, per testamentum, aliquid statuere *de rebus non suis*, nec praetendere ut domus religiosa, certae Congregationi juris pontificii pertinens, in dioecesi legitime erecta, clauderetur, et, eius loco, aperiretur domus alius Congregationis Religiosae, extra dioecesim existentis. Quae omnia, ad normam legis canonicae, inscio Ordinario, compleri non possunt, eoque minus renitente ac firmiter reprobante eodem Ordinario: qui, ut ex actis patet, informatus fuit postquam rev.dus Magni Sororibus Pretiosiss. Sanguinis mandatum dederat, *in nomine Domini*, proficiscendi et locum cedendi aliis Sororibus (cfr. verba illa epistolae rev. Magni sub die 21 apr. 1922 datae: « ...il Signore *vuole* allontanare queste da Velletri, per mettervi quelle. Non è padrone di farlo? Potrò io non ubbidire? Conosciuta la volontà di Dio, in seguito a continue ed insistenti preghiere, ho detto tutto ecc. »).

Rectissime, ac plenissimo jure, E.mus Card. Pompilj, tunc Episcopus Veliternus, de his omnibus, gravibus verbis, conquestus est apud S. C. de Religiosis, scribens, inter alia, sub die 5 aug. 1923: « ...egli (il Magni), alcuni mesi or sono, avrebbe saputo da Maria Lilia che il Signore le avrebbe rivelato che era adirato con le Suore del Prez. Sangue di Velletri, e che le aveva dato il mandato di sostituirle subito con le Suore Terziarie, ed altre cose, che si possono leggere nelle lettere del Magni, che unisco alla presente, che però avrò bisogno di riavere, per consegnarle al S. Officio, se, come temo, in relazione ad altri fatti, dovrò far occupare di Maria Lilia quella Suprema Congregazione.

Il Magni, appena conosciuta la rivelazione di Maria Lilia, non sentì altro, e, data la sua natura, descritta di sopra, si esaltò, in una specie di mania religiosa, trovò subito mille difetti nelle Suore, che fino a poco prima aveva lodato, non si peritò di scrivere le più volgari insolenze, non dubitò di calunniare l'Istituto delle Suore del Prez. Sangue, fece ricorso alle bugie più manifeste, e, credendo ciecamente che la volontà di Maria Lilia sia la volontà di Dio, *si scordò perfino che a Velletri vi era un Vescovo*, sia pure indegno, e licenziò le Suore del Prez. Sangue, *senza neppure prevenirlo*. Che questo modo di agire sia secondo la Volontà di Dio, non riesco a persuadermi!

...Il Magni continuò ad infierire contro le Suore del Prez. Sangue, e, alle mie esortazioni di portare la questione avanti a cotesta Sacra Congregazione, rispondeva di non volerlo fare, e si appellava alla dichiarazione, che, *a mia insaputa*, si era fatta rilasciare dalle tre suore intestatarie del villino, pochi giorni dopo l'acquisto, minacciando di valersene in via civile.

Avendo poi saputo che faceva vedere ad altri la detta dichiarazione segreta, e probabilmente ne faceva anche far copia, mi credetti in dovere di chiamarlo e intimargli di consegnare a cotesta Sacra Congregazione la dichiarazione stessa. Egli si rifiutò, e mi confermò il proposito di servirsi della suddetta dichiarazione in via civile, quale che fosse stato il responso della Sacra Congregazione, nella quale dimostrava di non aver fiducia. Fu allora che gli prescrissi un perentorio fino al 19 luglio, trascorso il quale senza che avesse consegnato la dichiarazione alla Sacra Congregazione, sarebbe restato sospeso *a divinis*.

Con mio stupore, ebbi questa risposta: « Prego Dio che mi faccia morire prima del 19 luglio, così il mio erede potrà valersi della dichiarazione dinanzi al Tribunale civile! ». Sento che, poi, in seguito ad esortazioni del Vicario Generale, abbia ritrattato le parole di sfiducia verso la S. C., ed abbia, con una proroga ottenuta, consegnato alla S. C. la dichiarazione, il 25 luglio.

Quanto alle accuse che fa alle Suore del Prez. Sangue, posso riferire che sono false, o molto esagerate. In questo biennio, o poco più, che sono a Velletri, l'opera loro è stata proficua ed apprezzata dalla cittadinanza... Però, il buon sac. Magni non è contento delle Suore: avrebbe voluto che facessero penitenza, vorrebbe che facessero un quarto voto d'immolazione, come fanno le Suore di Maria Lilia e sembra aver fatto egli stesso; vorrebbe che facessero cento altre cose, e, in fine, avrebbe voluto che in due anni avessero moralmente trasformato tutta la parrocchia: ciò che egli, con tutto il suo zelo, non è riuscito a fare nei quasi dieci anni, da che la regge...

Con tutto ciò, non nego che le Suore avrebbero potuto far meglio: ma era il Magni che le dirigeva e s'immischiava in ogni più piccola cosa, vietava loro ogni libertà d'azione, imponeva i suoi metodi e i suoi capricci: in una parola, se le Suore hanno commesso qualche difetto, questo è imputabile al Magni, e non alle Suore...

Il Magni, per la sua abituale sfiducia negli altri sacerdoti, pretendeva che le Suore si confessassero da lui, e, nell'epoca dello straordinario, o se era assente, prescriveva da chi dovessero andare...

...Nell'acquisto del villino, non tutto fu dato dal Magni, e vi è una buona parte che appartiene ad altri, sopratutto alla diocesi. Anziché reclamare la proprietà del villino, sarebbe stato meno sconveniente, e più logico, che il Magni avesse reclamato ciò che ci aveva messo del suo. Forse qualcuno, per conservare in Velletri il beneficio, che si ha dal bene che fanno le Suore del Prez. Sangue,

supplirebbe la beneficenza, che il Magni si vuol riprendere dopo averla fatta, per un suo colpo di testa ».

Consulto, lacinias plures huiusmodi E.mi Pompilj scripti Patres heic relatas ad litteram voluerunt, quia ex hoc cathegorice evincitur:

a) Rev.dum Magni, contra jus et fas, Sorores Pret. Sanguinis dimisisse, tamquam *inspiratum* (directe vel indirecte) *a Domino*.

Quod, dum ex uno latere confirmat judicium, de eo datum a rev.mo Tredici (qui, in judicio illo proferendo, iisdem E.mi Pompilj verbis usus est), non iniquum fuisse, nec fundamento destitutum (cfr. supra), ex altero comprobat praefatum sacerdotem Magni nervum disciplinae ecclesiasticae vel ignorasse, vel sprevisse prorsus.

b) Rev.dum Magni, reapse, quoad Sorores Pret. Sanguinis, de omnibus, arbitrario modo, tam in foro externo quam interno, disposuisse.

c) Ipsum eumdem, per testamentum diei 26 maii 1922, in favorem rev.di Milita redactum (de quo tamen fusius infra), re vera non de suis disposuisse: i. e. disposuisse de bonorum acervo, in quo ipse, ad summum, *ut condominus* haberi poterat. At, quo jure et quo ausu, de integra proprietate libere, inauditis condominis ceteris, disponit ac statuit?

Hoc, bene notetur!, tam longe est a quavis contestationis possibilitate, ut ipse rev. Magni, in quadam epistola, missa ad E.mum Pompilj, die 17 julii 1923, dicat se paratum esse *ad restituendam* partem pecuniae receptam pro acquisitione fundi, de quo controvertitur.

Sed hoc, evidenter, dum nimis simplicem modum res accommodandi prodit, patenter quoque de foedissimo mendacio arguit sive declarationem illam a Sororibus Pret. Sanguinis, proponente, imo dictante Magni, conscriptam (cfr. supra), sive testamentum rev.di Magni diei 26 maii 1922, per quod iste de integra proprietate disponit tamquam *unicus* et *absolutus* dominus.

Quae jam de se, absque dubio, exigunt ut tam declaratio quam testamentum *pro invalidis* haberi debeant.

Sed longe plura ad rem notanda sunt. Etenim, rev. Magni primum suum testamentum redegit die 10 junii 1918, per quod Religiosas Pretiosiss. Sanguinis heredes constituit « di tutti i miei crediti, diritti, azioni, ragioni ».

Huic testamento addere voluit, die 14 maii 1 919, notulam seu elenchum omnium bonorum, scribens ad Generalem Antistitam Congregationis Pret. Sanguinis: « E' bene che la Maternità Vostra conosca in che consiste il mio patrimonio, e quali siano i miei crediti e le mie annualità attive e passive, affinché, quando Iddio mi chiamerà, Ella non resti imbarazzata ».

Post relata verba, sequitur elenchus bonorum, adamussim, et quasi meticulose descriptorum. In quo, tamen, non apparet celebris domus cum adnexo praedio, quae caput contestationis est. Et hoc, ni fallimur, jam satis probat rev.dum Magni, tunc temporis, se talis domus ac praedii proprietarium non habuisse.

Ceterum, edixerunt Patres ne concipi quidem posse E.mum Cardinalem Episcopum Pompilj, pecunia dioecesis, concurrisse non ad fundationem religiosam constabiliendam, sed ad acquirenda bona privata rev.do Magni, de quibus iste, vita durante, proprietatem retinere, et quidem ex integro, debuisset, ac deinde, per testamentum, de iisdem pro lubito disponere potuisset. Vel ipsa eadem ratio, haec inaudita audiens, protestatur! Nec quilibet sanae mentis episcopus id sibi licere, aut ullo pacto expedire, certo certius retinuisset!

Plenissime ergo constat bona in themate non personae cuiquam privatae spectare, sed praecise domui religiosae, juxta mentem Episcopi, eoque pecunia dioecesis concurrente, erectae ac fundatae, pro finibus religionis consequendis.

Sed obiici posset rev.dum Gregorium Magni bona controversa in elencho, de quo diximus, non citasse, eo quod elenchus die 14 maii redactus fuit, dum declaratio, per quam Sorores eum agnoscebant proprietarium « finché vivrà », die 15 successit. Incideret autem in Scyllam, talia obiiciens, cupiens evitare Caribdim! Etenim:

a) Si re vera propter tale motivum sac. Magni ita se gessit, consequitur ipsum eumdem, in conscientia, Sorores Pretiosissimi Sanguinis ut veras proprietarias considerasse, saltem a die 3 maii 1919 (in quo contractus emptionis-venditionis bonorum, ut notum est, locum habuit) usque ad diem 15 eiusdem mensis. Ast, hoc posito, declaratio a Sororibus scrito data die 15, *ut vera alienatio bonorum* intelligenda es. Si ita, quid de huiusmodi alienationis validitate, deficiente consensu Superioris Ecclesiasticae Auctoritatis, ad normam SS. Canonum praescripto?

Et hoc dictum sit, praescindendo ab hac obvia consideratione: quod, nempe, rev.dus Magni, rebus sic stantibus, ad praecavenda pericula et ambiguitates, elenchum bonorum suorum Antistitae Gen. **non die 14 misisset, sed die 16**, et tunc de domo cum praedio in elencho non tacuisset.

b) Ipse rev.dus Magni, coram Tribunali Curiae Veliternae, deposuit: « Non ho fondato la casa, e molto meno ho inteso beneficiare le Suore del Prez. Sangue. La casa si sarebbe fondata dopo la mia morte, per effetto del mio testamento ».

Cuiusnam, quaeso, testamenti? Evidenter, illius testamenti, die 10 junii 1918 redacti, per quod Sorores Pret. Sanguinis heredes

universales suorum bonorum constituerat. Sed optimus vir, relata in tribunali proferens, certo oblitus erat quod, in praefato testamento, ne verbum quidem unum habebatur de tali testatoris pia intentione. Quomodo ergo Sorores heredes potuissent, *vi testamenti*, domum illam fundare, juxta testatoris intentionem?

Sed rev. Magni, ulterius interrogatus a Judice num aliquando notulam bonorum suorum Antistititae Gen. Congreg. Pret. Sanguin. remittens, forte in ipsa mentionem de domo et fundo non fecerit, et qua de causa, hoc miro responso se expedire tentavit: « Non esiste, per quanto ricordo, nota dei miei beni, e quindi non ho potuto far cenno dello stabile in questione ».

E contra, notula existit, atque actis adquisita est.

Sed examinemus nunc verba testamenti, vi cuius rev.dus Milita *actionem ex testamento* hodie experiri vellet.

In hoc testamento, die 26 maii 1922 redacto, scriptum fuit:

« Riguardo al fabbricato e alla vigna in piazza Trento e Trieste nn. 12 e 13, acquistato a nome di Giuliani Filomena, Onorato Bianca e Perilli Eugenia, essendo il detto fabbricato di mia proprietà, perché ne ho pagato il prezzo (sed hoc verum non est!), come risulta dalla dichiarazione rilasciatami dalle tre intestatarie suddette, ne pago ogni anno le tasse, e sostengo le spese della coltivazione della vigna, voglio che il detto mio erede don Giovanni Milita faccia occupare questo fondo dalle Terziarie Francescane della Divina Provvidenza, istituite da Suor Maria Lilia, perché sono intimamente convinto ecc. ».

Praecisione autem facta a falsitatibus et a motivis nullitatis iam expositis, remanet testamentum hoc redactum fuisse antequam a testatore causa reivindicationis proprietatis instauraretur. In qua causa, ut notum est, ipse succubuit. Obstat, proinde, in praesens, praetensis heredis seu successoris, *res judicata*, quam sententia Tribunalis Curiae Veliternae diei 5 maii 1924, et sententia Rotalis diei 13 augusti 1926, apprime conformes, plenissime in suo robore extantes, constituerunt.

Quibus omnibus in jure et in facto perpensis, Nos infrascripti Auditores de turno, pro tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, Christi Nomine invocato, edicimus, pronunciamus et sententiamus, quaestionibus propositis respondentes:

I° - Negative, seu beneficium patrocinii gratuiti concedendum non esse.

II° - Negative, seu libellum, in casu, non esse acceptandum.

Et partem actricem, quae est rev. can. Joannes Milita, ad expensas omnes judicii huius et ad honoraria utriusque advocati solvenda condemnamus.

Ita pronunciamus, mandantes Ordinariis locorum et ministris Tribunalium, ad quos spectat, ut exsecutioni mandent hanc Nostram sententiam, et adversus reluctantes procedant ad tramitem C. J. C., lib. IV, tit. XVII, adhibitis iis exsecutivis et coercitivis mediis, quae pro rerum adiunctis efficaciora videantur.

Romae, in Sede Tribunalis S. R. Rotae, die 28 julii 1954.

PETRUS MATTIOLI - *Ponens*
EMMANUEL BONET
JOANNES M. PINNA

COMMISSIO SPECIALIS PONTIFICIA

Coram E. P. D. ANDREA JULLIEN, *Decano, Ponente*

MATRITEN.

Nullitatis Matrimonii
(*de conditione consensui matrimoniali apposita*)

SENTENTIA DEFINITIVA
(die 30 Januarii 1957)

Pio Papa XII feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno decimo octavo, die 30 ianuarii 1957, E. P. D. Andreas Jullien, Decanus S. R. Rotae ac Ponens, RR. PP. DD. Arcturus Wynen et Guillelmus Heard, Auditores S. R. Rotae, Iudices *vi Commissionis Pontificiae Specialis* in causa *Matriten. Nullitatis Matrimonii* inter D.nam Theresiam, actricem, repraesentatam per legitimum procuratorem D.num Ioannem Torre, Advocatum S. Consistorii, — et D.num Aloysium, conventum; interveniente et disceptante in causa vi specialis deputationis R. D. Ioseph Stella, S. R. Rotae Defensore Vinculi, sequentem tulerunt definitivam sententiam, *in quarta instantia.*

Cum ad nuptias omnia iam parata erant, sponsa Theresia, nunc actrix in causa, se amare intellexit deceptam a sponso Aloysio. Hic enim architecti titulum, quo eum esse ornatum sponsa volebat, se habere contra veritatem asserere ausus erat. Attamen Aloysio suisque vehementer instantibus, Theresia in nuptias quas, veritate agnita, respuere volebat, tandem rursus consensit, Aloysio sollemniter promittente ut intra biennium architecti titulum

consequeretur. Nunc autem Theresia contendit se tunc non dedisse ilum consensum nisi sub conditione, quae prorsus defecit. Enimvero initis istis nuptiis, Aloysius ad consequendum illum titulum nil unquam fecit; inde inter eum et Theresiam, nativitate filiae non obstante, dissensiones graves, quae conduxerunt Theresiam ad separationem definitivam instaurandam.

Die autem 18 januarii 1946, Theresia ad Tribunal ordinarium Matritense primae instantiae libellum exhibuit, petens ut istud matrimonium nullum declararetur, quia in illis adiunctis ea consensum non praestitisset nisi sub conditione aut *de futuro:* si intra biennium consequaris titulum architecti; aut *de praesenti:* si vere promittis ut necessaria ad illum titulum consequendum peragas. In alterutro autem casu conditio defecisset.

Tribunal ordinarium Matritense in prima instantia, die 20 martii 1948, pronuntiavit: constare de nullitate matrimonii ratione conditionis *de praesenti;* non constare ratione conditionis *de futuro.*

Tribunal autem appellationis Toletanum, in secunda instantia, die 3 iulii 1950, pronuntiavit non constare de nullitate matrimonii.

Tribunal vero Rotae Nuntiaturae Apostolicae in Hispania, Matriti constitutae, in tertia instantia, die 29 martii 1952, confirmavit sententiam Toletanam negativam.

Obtenta Commissione Pontificia post inquisitionis supplementum, hodie respondendum est dubio concordato: *An constet de nullitate matrimonii, in casu.*

In iure. - Docte, fuse, solide, tres illae sententiae exposuerunt leges canonicamque doctrinam de conditionibus quibus matrimonialis consensus alligari potest, necnon de ratione causae, modi, oneris, respectu eiusdem consensus. Cum autem hodie controversia versetur non de iure sed de facto, omnia illa pro nostro officio non sunt repetenda; sed sat Nobis sit eis addere haec perpauca, quae sequuntur.

« In conditionibus primum locum voluntas defuncti obtinet eaque regit conditiones ». (Ulpianus) Dig. XXXV, 1 *de conditionibus et demonstrationibus,* 19. Quocirca qualitas quae antea contractui causam dederat, potest transire in veram conditionem a qua contractus matrimonialis pendet, quoties novus ponatur actus voluntatis, quo contrahens potius illam qualitatem quam ipsum matrimonium positive vult. Quid vero contrahens voluerit, id declaretur atque probetur non ex cortice verborum neque ex hac vel

illa attestationis parte ad arbitrium divisa atque interpretata, sed ex integris sermonibus, ex cunctis personarum circumstantiis, sedulo pariter perpensa aestimatione quam contrahens habuit de requisita qualitate, perpensaque ratione qua is, ubi id quod intendebat deficere agnovit, se gessit.

Quamvis iuxta veriorem sententiam, ut quis conditionem apponat haud requiratur eum esse in dubio positivo de circumstantia aut de qualitate e qua vult consensum pendere, certissimum est tamen eo faciliorem probatu esse conditionis appositionem quo graviore dubio mens contrahentis premitur de existentia qualitatis, quam propter causam suo iudicio gravem requirit.

In facto. - Caput a quo ista causa speciem sumit, hoc est: grave scilicet dubium in quod sponsa Theresia, quia dolo Aloysii sponsi amare fuit decepta, venit de veritate eiusdem Aloysii promittentis id quod ab eo ipsa Theresia exigebat, titulum scilicet architecti. Quare timore alterius fallaciae Aloysii perculsa, Theresia cavit, suo consensui conditionem apponendo hanc: « Se tu menti su quanto mi prometti, rompo il matrimonio e me ne vado a casa mia dopo che ci saremo sposati ».

Videamus quomodo conditionata haec voluntas ab actrice declaretur, atque an ex actis probetur.

Siquidem iam pluribus annis ante istud matrimonium, Theresia firmo proposito erat non nubendi nisi viro qui academico aliquo titulo ornatus esset: idque Aloysio, qui eius manum petebat, Theresia apertis verbis declaravit. Aloysius autem in quadam officina cum sociis praestabat, qua redemptor quidem, operas quae videbantur architecti; attamen Theresiae instanti Aloysius se titulum architecti habere flatigioso consilio asserere ausus est. Quo audito, Theresia, certior ita facta de exoptato Aloysii titulo, cum eo nuptias inire libenter acceptavit, quin, uti patet, suo consensui ullam conditionem hucusque apposuerit.

At ecce, paucissimo tempore ante diem celebrationis constitutam omnibusque iam paratis, Theresia contra certior facta est se turpiter esse deceptam ab Aloysio, qui revera se architectum non esse ipsemet confessus est coram Theresia huiusque propinquis. Indignatione correpta, Theresia istis nuptiis valedicere voluit; sed confestim Aloysius, ne illud matrimonium sibi bonum amitteret, iterum iterumque cum iuramento sollemniter promisit se intra biennium consecuturum esse architecti titulum. Aloysio suisque ita vehementer instantibus Theresia tandem cessit atque acceptavit nubere Aloysio quia ita promittebat. Facile enim non erat

matrimonium differre ut Aloysius titulum obtineret; omnia enim parata erant atque Theresia jam quasi super-adulta bis cum aliis desponsata erat ideoque propriam famam laesisset.

At vero, et hoc est illud caput totius causae, Theresia brevissime postea timore gravi perculsa est ne rursus deciperetur ab eo qui iam graviter mendax fuerat; ideoque novo actu voluntatis, Theresia suo consensui in Aloysium apposuit conditionem, volens scilicet illum consensum pendere e veritate Aloysii promittentis, et consequenter nolens ullius valoris esse matrimonium si Aloysius rursus ementiretur. Conditionatam hanc voluntatem Theresia significavit modo vehementi Aloysio, qui rem esse gravem intelligeret.

Audiatur Theresia: « Io gli dissi (Aloysio) decisamente che se nel termine di due anni, come egli assicurava, non avesse finito la carriera, era meglio se non mi prometteva di farlo, perchè io così non mi sarei sposata. Ma siccome egli insistè tanto nella promessa che in due anni avrebbe terminato la carriera, fu soltanto sotto questa condizione che io mi decisi di accettare il matrimonio. Il tono con il quale egli mi fece la promessa mi ispirò fiducia che mi diceva la verità ».

Ipso igitur hoc tempore quo Aloysius ita sollemniter promittebat titulum proxime obtentum iri, tunc Theresia fidem in eum aliquam habuit, eique nubere acceptavit. At confestim memor gravissimi mendacii ab eodem Aloysio impudenter dicti, Theresia prudenter existimavit se in futurum non posse pro secura et continua habere illam fidem in Aloysium. Quibus perpensis, conditionem e qua consensus penderet apposuit. Prosequitur enim Theresia: « D'altra parte, come già mi ero sentita ingannata prima e non potevo avere alcuna sicurezza che egli avrebbe fatto ciò che prometteva, fu per questo motivo che pronunziai le seguenti parole: "Io credo che tu mi dici il vero, ma ti assicuro che se tu menti su quanto mi prometti, rompo il matrimonio e me ne vado a casa mia dopo che ci siamo sposati". Tutto questo lo dissi in un tono di grande violenza in modo da dimostrare che avrei fatto ciò che dicevo. Io facevo dipendere il mio consenso al matrimonio dalla condizione che avevo stabilito ».

Iamvero Aloysius plene intellexit conditionatam ob suam ipsius fallaciam esse voluntatem Theresiae: « Però ella, ita ille, non si mostrava molto sicura di ciò che io le promettevo e aggiunse che se non mantenevo quanto le avevo promesso ella non si sarebbe considerata sposata con me o si sarebbe separata da me per sempre o si sarebbe considerata come non sposata o altro del genere ». (Trad. Sent. Toletanae).

Hucusque partes id quod sponsa Theresia voluit declaraverunt. Nunc an ex actis res probetur videatur.

De iis quidem quae assertam conditionis appositionem praecesserunt, videlicet: de Theresiae consilio non nubendi nisi viro qui academicum aliquem titulum habuisset; de mendacio quo Aloysius affirmavit se architectum esse; de istius mendacii confessione facta coram Theresia ab ipso Aloysio, de huiusque sollemni promissione se intra biennium consecuturum illum titulum: de iis cunctis dubium nullum, actis perpensis, habetur, quin in quarta ista istantia probationes congerantur necesse sit. Haec vero omnia adiuncta ad probandam conditionem viam aperiunt, nam eis ostenduntur motiva iudicio Theresiae gravia, propter quae ea impulsa est ad cavendum a nova Aloysii fallacia. Attamen eiusmodi adiuncta praevia satis per se non sunt quae probent conditionem revera esse appositam; potuissent enim in animo Theresiae induere naturam causae: *quia promittis consentio;* aut dare locum modo vel oneri; *consentio sed consequeris titulum.*

Via autem ita aperta, facilius attestationibus comprobatur conditionem a Theresia esse suo consensui appositam. Testes vero in ista causa multi auditi, in duos ordines dividuntur: ex aliis argumenta desumuntur pro conditione; ex aliis objectiones, quae tamen pro conditione solvuntur.

1. - Blasius, frater Theresiae maior natu, medicus odontologus, degens in eadem civitate ac soror, qua familiariter utebatur, id quod ea voluit atque egit plane cognoscere poterat et revera cognovit, de eoque in iudicio deposuit pro sua memoria, nolens quidquam ultra percepta et recordata referre. Atqui fide dignus ille testis, relata gravi quam passa erat soror fallacia, dixit se multum institisse penes Aloysium deceptorem qui quam citius obtineret titulum a Theresia quaesitum. Tum Aloysius promisit iuravitque « ciò, ait testis Blasius, ci convinse tutti ».

Contra autem veritatem atque iustitiam heic amputaretur attestatio illius testis, qui revera ita prosequitur: « Mia sorella, a sua volta (ergo novo voluntatis actu), volle esigere che egli le promettesse che *solo* così avrebbe accettato il matrimonio... Mia sorella quando avvenne la scena che io ho ricordato, giunse a dire al sig. Luigi che se lui, dopo di essere sposato, *no terminaba la carrera, como promettia, ella se descasaba. No se lo que queria decir ella con eso* ». Blasius igitur de conditione quam soror Theresia apposuit, loquitur quidem, sed cum verbis nec apertissimis nec iuridicis; at vero gravioris ponderis est argumentum desumendum ex iis quae ita probe retulit fide dignus ille testis: videlicet soror Theresia, timens ne rursus deciperetur, noluit in Aloy-

sium consensum praestare nisi is titulum consequi promitteret atque vere promissa adimpleret, ita ut, promissione non adimpleta, Theresia discederet, qua nempe non legitime copulata. Qui conditionis effectus plane respondet: I) ponderi quod Theresia tribuebat titulo academico quo ornatum volebat virum; et 2) gravi timori ne rursus ab Aloysio deciperetur.

Simili modo conditionem eiusmodi a Theresia suo consensui appositam esse comprobatur depositione, tota simul sumpta, quam Claudius, Aloysii frater, testis novissime inductus, dedit ex iis quae illo tempore tum a convento fratre tum a Theresia ipse audivit. Enimvero testis Claudius praeprimis refert Theresiam nuptias cum Aloysio accepisse quia hic promiserat; deinde testis addit Theresiam eas non accepisse pure ac simpliciter, sed: « essa fece comprendere che se mio fratello subito dopo le nozze non fosse divenuto architetto, essa non si sarebbe considerata legata a lui per alcun vincolo ». Pendebat igitur consensus e fideli promissionis exsecutione.

Amplius cum binis illis attestationibus pro conditionis appositione plane concordant depositiones trium mulierum testium, quae, ex scientia propria tempore non suspecto accepta, pariter referunt Theresiam, ob grave sponsi Aloysii mendacium, timore ne rursus deciperetur, conditionem apposuisse. Sunt: 1) Ada, Theresiae consobrina: « (Theresia) aveva replicato che si sposava con lui a questa condizione, che egli, dopo aver sposato, avrebbe terminato la professione e questo, se egli non lo avesse detto realmente e non lo avesse promesso o non lo avesse adempiuto, lo faceva considerare come se non si fosse sposata ». 2) Lina, Aloysii mater: « (la sposa accedette al matrimonio) sempre sotto il fatto che egli (Aloysius) le promettesse di conseguire la professione di architetto in uno spazio massimo di due anni ». Deinde eadem testis prosequitur: « ...si decise il matrimonio, però con la condizione proposta dalla fidanzata in modo espresso che se non conseguiva la professione ella avrebbe ritenuto di non esser sposata. La testimone lo sa perchè fu presente ». 3) Carola, actricis mater: « Mia figlia ancora insistette dicendo che se egli non avesse adempiuto a quello che aveva promesso, una volta sposati, abbandonerebbe lui e sarebbe tornata con noi ».

II. - At obiicietur: undecim ceteri testes, in causa auditi, quamvis cum familia Theresiae ratione propinquitatis, amicitiae, muneris, frequentes essent, de asserta conditione, nil, saltem tempore non suspecto, audierunt.

Resp.: Eiusmodi attestationes, quae non numerantur, sed

ponderantur, nec quid certi nec quid gravis referunt quo quinque illae attestationes de conditionis appositione evertantur. Si enim ex undecim his attestationibus non desumitur directa probatio conditionis appositae, desumitur tamen probatio rationum earumque gravium, quibus Theresia adducta est ad cavendum ab Aloysio per conditionem. Sunt: 1) pondus quod iam a pluribus annis Theresia dabat titulo academico, quo ornatum maritum volebat; 2) certissima notitia quam habuit Theresia, de mendacio Aloysii in ista materia sibi gravi, de titulo academico; 3) dubium positivum ac grave, ista Aloysii fallacia fundatum, ne ipsa Theresia, non obstante sollemni illius promissione, rursus fieret victima.

Pressius vero perpendantur attestationes duorum ex his testibus, scil. Nevii atque Lucillae.

1. - Nevius, qui est maritus materterae Theresiae: *a*) de matrimonii controversi celebratione refert: « Sembrò veramente che vi fosse soddisfazione tra gli sposi ». Res componi quidem potest cum mente Theresiae, quae primum valde turbata ob sponsi fraudem, deinde animo melius consistit propter iuratam Aloysii promissionem, cui accessit conditio ab ea ipsa apposita. *b*) existimat idem testis dissensus inter coniuges post nuptias ortos esse ob interventum matris quae quidem ad promovendam istam causam nullitatis matrimonii multa egisset. Verum ex actis constat graves dissensus inter partes ortos esse culpa viri, quin ut exardescerent requireretur opera aliena. Rursus etiamsi mater ad promovendam filiae causam partem aliquam habuisset, eiusmodi interventu fundamentum causae, quod alioquin comprobatur, nullo modo labefactaretur. *c*) refert autem testis Nevius pro actrice quidem: « Fu noto che egli non era architetto la vigilia del matrimonio ». Praeterea de conditione: si promittis te infra biennium consecuturum titulum architecti, testis rem novit a matre Theresiae, sed cum ista causa parabatur.

2. - Lucilla, ratione muneris quo fungebatur mater Theresiae, hanc bene noscens, nihil tamen audivit de asserta conditione. At tempore quo, fallacia Aloysii detecta, matrimonium in periculo esset, testis Lucilla vidit Aloysium atque Theresiam plorantes, ab eaque quaesierunt ut interveniret penes Theresiae matrem quae tractatus ipsa abrumperat: tanti igitur titulus architecti fuisset in mente matris, non filiae. Resp.: Una est testis illa quae de isto Theresiae animo refert; sed res componi potest cum ceterorum dictis. Enimvero Theresia iam dixit, cum tractatus a se suisque abrumpebantur, se tamen voluisse certiorem fieri, interrogato ab ipsa Aloysio; eo vero iterum iterumque iurante se titulum brevi consecuturum, Theresia tandem cessit, ideoque id ea referre debuit

matri quae paulo antea declaraverat matrimonium non contrahendum cum doloso isto homine. Praeterea Lucilla ex propria scientia affirmat Theresiam ita magni fecisse architecti titulum ut, eo deficiente, Aloysio non nupsisset.

Solutis igitur objectionibus desumptis ex quibusdam attestationibus, nunc licet rem concludere ita: Theresia matrimoniali suo consensui apposuit conditionem quae quidem erat *de praesenti,* seu de veritate promissionis, videlicet: « ...ti assicuro che se tu menti su quanto mi prometti, rompo il matrimonio ».

At vero dicetur; eiusmodi verba videntur ambigua, quia intelligi possunt non solummodo *de praesenti,* verum etiam *de futuro,* seu de violatione promissionis: si mendax eris, in quantum quae nunc promittis, ea post celebrationem non adimplebis, tunc discedam. Atqui hunc sensum *de futuro* confirmare videntur attestationes quaedam supra relatae, puta: « ...se egli non conseguiva la professione, ella avrebbe ritenuto di non esser sposata » (Lina, mater Aloysii).

Resp.: Quin opus sit interpretandae voluntati Theresiae, eius verba « *...ti assicuro, che se tu menti...* » se referre ad conditionem *de praesenti* seu ad promissionis veritatem, tenere debemus, attenta tota causae complexione, seu attentis jam supra expositis de ratione propter quam in illis adiunctis Theresia conditionem apposuit, attentisque iis quae proxime dicentur de defectu conditionis *de praesenti.* Testes autem, qui de conditione *de futuro* loqui videntur, promissionem veram non fuisse existimaverunt ex eventu; atque de conditione revera apposita a Theresia locuti sunt iuxta ea quae ita viderunt, quin, juris expertes, intellexerint veram illius conditionis speciem.

Comprobata conditione, quaeritur an ea defecerit, seu an Aloysius falso promiserit.

Siquidem pro veritate promissionis dicetur: Aloysius, quamvis post nuptias Theresiam deceperit ad titulum consequendum nil prorsus faciendo, ante eas tamen vere ac sincere promisit ut intra debitum tempus titulum obtineret; optimas enim illas nuptias amittere nolebat, Theresiamque diligebat, nec adolescenti illi, boni quidem ingenii, difficili negotio fuisset consequi titulum architecti, prosequendo studia iam incepta. At paulo post celebrationem, Aloysius ,pravo ingenio magistro, ad flagitiosa consilia confestim reversus est, eo facilius quia uxor Theresia pecuniam ad vitae sumptus necessariam conferebat; nec ideo Aloysius ullam de promissis rationem habuit. Inde inter coniuges dissensus, atque separatio a Theresia instaurata est, matrimonio quidem stante.

Resp.: Constat conditionem defecisse. Jamvero hominem fuisse qui in re gravi Theresiam scienter falleret, Aloysius probatur, nam, uti confessus est ipsissime, deliberata voluntate ac per menses plures fraude usus est, ut de re quam ipse scienter noscebat gravis momenti pro Theresia, hanc scienter deciperet.

Quoad autem falsam promissionem, Aloysius in iudicio confessus est de ficta promissione: « Nel mio interno non mi obbligavo ». Conventi quidem confessio pro nullitate, de se non probat; plene tamen confirmatur ab eius fratre Claudio. Hic, novissime auditus, fide dignus a parocho renuntiatus, venerat Matritum ut matrimonio fratris Aloysii adstaret. Atqui paulo ante celebrationem ei Aloysius dixit « che egli non aveva alcuna intenzione di terminare gli studi di architetto e che se lo aveva promesso a Donna Teresa ciò lo aveva fatto precisamente perchè si celebrasse il matrimonio ». Rursus eodem tempore, coram Blasio, teste novissimo audito, Aloysius se ficte promisisse innuit, dicens se revera promisisse « per saltare il fosso ».

Jamvero quae Aloysii promissionem subsecuta sunt, ea istam falso esse datam plane comprobant. Etenim non obstantibus Theresiae precibus instantibus repetitisque, Aloysius, ut iuxta promissa architecti titulum tandem obtineret, nil unquam fecit, cum facile potuisset. Id ipse in iudicio confessus est, atque concordi voce cuncti testes confirmant, quin heic in quarta instantia eorum attestationes referre oporteat.

Deficiente autem conditione expresse apposita, Theresia, iuris quidem expers, intellexit tamen ea quae per se de eiusmodi conditione intelliguntur, et ideo nullius valoris habuit istud matrimonium, adiunctisque sinentibus, ab Aloysio separationem instituit.

Sed obiicietur: Quamvis a primo tempore Aloysius ad titulum consequendum nil fecerit, tamen Theresia cum eo vitam coniugalem prosecuta est, filiamque susceperunt, nec ab Aloysio discessit nisi post annos duos, eo in carcerem secunda quidem vice detruso.

Resp.: Uti in iudicio narrat, testibus quidem comprobantibus, Theresia confestim post nuptias ab instando non cessit penes Aloysium, qui tandem studiis vacaret; sed frustra. Nata filia, Theresia separationem tori instituit, Aloysio maximum afferente taedium, cui causa fuit ista fallacia, nam antea Aloysius a Theresia diligebatur. Perpetuis dissensionibus vita eorum perturbata est, « e se ciò nonostante, ita Theresia, convissi con lui molto tempo sotto il medesimo tetto, fu per non dare un nuovo dispiacere ai miei genitori, per non far nascere scandalo e sopratutto per mia figlia, fino

al giorno in cui... approfittando dell'assenza di lui per essere detenuto in carcere, io me ne andai a casa dei miei genitori ».

Confirmat Theresiae frater, vir uti dictum est fide dignus: « L'unica cosa che osservavo era un allontanamento ogni volta più grande fra loro, perchè mia sorella si vedeva ingannata in tutto e per tutto ». Et concinunt cuncti testes quibus post istas nuptias cum Theresia usus domesticus erat. Nec conditionis defectui probanda officit si plures aliae causae locum separationi concomitantes dederunt. « Egli non ha adempiuto a nessuna delle obbligazioni e promesse del matrimonio e pertanto egli non è mio marito », ita ex ore Theresiae testis Josephina audivit.

Quibus omnibus tum in iure tum in facto perpensis, Nos, infrascripti Auditores S. R. Rotae commissi, declaramus et definitive sententiamus: *Constare de nullitate matrimonii, in casu.*

Romae, in Sede Tribunalis S. R. Rotae, die 30 januarii 1957.

Coram R. P. D. Dino Staffa, *Ponente*

VIC. AP. DE CAPE TOWN

Nullitatis Matrimonii

(*Ex capite metus ex minis suicidii*)

Sententia definitiva diei 3 Aprilis 1957

(*Omissis*)

In iure. - Juxta casuum diversitatem, aliquando N. S. T. edixit metum e minis suicidii ortum alterius personae non esse ab extrinseco, aliquando non esse iniustum, aliquando non esse gravem.

Negatum fuit huiusmodi metum esse ab extrinseco, quia subiectum passivum mali comminati est altera persona (cfr. *Decisiones S. R. Rotae,* vol. XV, p. 81, n. 10, decisio 23 aprilis a. 1923 *coram Cattani Amadori.* Cfr. etiam vol. XXIV, p. 121, n. 7, decisio d. 23 martii a. 1932 *coram Heard;* vol. XXIV, p. 570, n. 19, decisio 23 decembris a. 1932 *coram Jullien;* vol. XXV, p. 390, n. 11, decisio 21 iunii a. 1933 *coram Guglielmi;* vol. XXVIII, p. 644, n. 3, decisio d. 31 octobris a. 1936 *coram Jullien*).

Negata fuit huius metus injustitia, quia alterius suicidio nulla injustitia causatur seu nullum malum iniustum (cfr. decisio citata coram *Cattani Amadori*).

Saepius negata fuit huius metus gravitas, cum de minis agebatur sibi vitam adimendi a sponso vel sponsa prolatis ut renuentem sponsam vel sponsum cogeret ad nuptias (*Decisiones S. R. Rotae,* vol. VII, p. 450, n. 5, decisio 4 novembris a. 1915 *coram Sebastianelli;* vol. XIV, p. 327, n. 14, decisio 18 octobris a. 1922 *coram Rossetti;* vol. XVII, p. 21, n. 7, decisio 9 ianuarii a. 1925 *coram Jullien;* vol. XX, p. 41, n. 7, 2, decisio 30 ianuarii a. 1928, *coram Mannucci;* vol. XXIII, pp. 494-496, nn. 9-11, decisio d. 14 decembris a. 1931 *coram Mannucci;* decisio cit. d. 23 martii a. 1932 *coram Heard;* vol. XXIX, p. 26, n. 5 ss., decisio d. 16 ianuarii a. 1937 *coram Jullien*).

Suicidium alterius personae, utpote eiusdem personae mortem secumferens, intrinsece est malum illius de cuius morte agitur; metus proinde suicidio causatus per se intrinsecus est illi qui necem sibi inferre vult. At suicidio alicuius mala etiam gravia, moralia vel oeconomica, causari aliis possunt. Metus horum malorum quae suicidio in aliis causatur, ab extrinseco pro iisdem dicendus est.

« Metus dicitur iniustus ratione cuiuscumque circumstantiae qua legitima norma obiectiva, divina vel humana, laedatur... Iniustitia metus haberi potest nedum ex violatione normae divinae, naturalis vel positivae, sed etiam normae positivae ecclesiasticae et normae civilis, intra limites potestatis Status. Praeterea metus potest esse iniustus sive ratione medii (id est mali comminati), sive ratione finis » (Decisio die 21 decembris a. 1951 *coram infrascripto Ponente;* eadem in decisione d. 17 ianuarii a. 1956 coram *Felici*). Suicidium vero, nedum caritatem, sed naturalem legem et justitiam offendit erga communitatem (cfr. e. gr. S. Thomas, *Summa Theologica,* II, II, p. 64, art. 5), ita ut cuilibet jus et officium sit illud impediendi, si valeat. Metus ergo suicidio incussus dicendus est iniustus et quidem semper, etiamsi metum inferens jus haberet exigendi matrimonium, nam finis iustus non mutat injustitiam medii.

Suicidio, ut diximus, mala aliis causari possunt; gravitas ergo metus ab extrinseco incussi aestimanda est iuxta horum maliorum gravitatem.

« Quia mors, nedums si nobis ipsis, sed etiam nostris parentibus, aut consanguineis vel affinibus vel personis quomodocumque nobis intime coniunctis vel a nobis vehementer dilectis immineat, malum grave est, minae suicidii ab iisdem firmo animo prolatae, malum grave constituunt » (Decisio d. 3 ianuarii a. 1956 *coram infrascripto Ponente.* Cfr. *Decisiones S. R. Rotae,* vol. XIII,

p. 133, n. 7, decisio 1 iunii a. 1921 *coram Chimenti;* vol. XIII, p. 291, n. 6, decisio 17 decembris a. 1921 *coram Rossetti.* In eodem sensu interpretandam censemus sententiam 26 iunii a. 1934 *coram Morano — Decisiones S. R. Rotae,* vol. XXVI, p. 451, n. 3 — quae gravem ait metum suicidii fieri posse « ob animi cruciatus »). Norma pro minis suicidii applicanda vix differt ab illa quae pro minis homicidii traditur, ita ut metus ex iisdem proveniens eo gravior sit quo arctior est nexus cum persona cui incumbit mors (cfr. Th. Sanchez, *De S. Matrimonii sacramento,* L. IV, disp. IV, qui, quasdam comprehendendo ab aliis omissas, varias classes personarum recenset quarum mors grave malum constituit, et inter eas arctissima amicitia coniunctos). Merito e contra, ut supra vidimus, N. S. T. negavit gravitatem metus incussi minis suicidii a sponso non amato.

Quamvis animi cruciatus quandoque absit, alia mala suicidium nihilominus consequi possunt (e. gr. infamia, vindicta, difficultas ex infamia alium sponsum inveniendi), quae, si gravia sint, pariter irritant vinculum (cfr. e. gr. *Decisiones S. R. Rotae,* vol. XIV, p. 81, n. 9, decisio 31 martii a. 1922 *coram Massimi;* vol. XIV, p. 327, n. 14, decisio 18 octobris a. 1922 *coram Rossetti;* vol. XVII, p. 21, n. 7, decisio 9 ianuarii a. 1925 *coram Jullien;* vol. XX, p. 40, n. 7, decisio 30 ianuarii a. 1928 *coram Mannucci;* vol. XXI, p. 374, n. 11, decisio 5 augusti a. 1929 *coram Massimi;* vol. XXIX, p. 99, n. 2, decisio 18 februarii a. 1937 *coram Wynen;* etc.). Immo, in sententia diei 11 maii a .1931 *coram Grazioli* (*Decisiones S. R. Rotae,* vol. XXIII, p. 189, n. 14) edicitur: « ex sponsi suicidio necessario sponsae fama periclitotur », quod tamen veritatem excedit: etenim si suicidium ignoratur, quia sponsus e. gr. mortem quaerit inter hostes aut in periculosis ludibus, aut innocentia sponsae est omnibus nota, eius fama integra manere potest.

Sponsus, praesertim pii ac religiosi animi, potest conscientiae angore premi ne altera pars, necem sibi inferendo nisi eam ducat, ad infernum damnetur; cum tamen facinus nonnisi suicidae imputandum sit, haud semel N. S. T. edixit metum istum esse ab intrinseco (*Decisiones S. R. Rotae,* vol. XIV. p. 327, n. 14, decisio 18 octobris a. 1922, *coram Rossetti;* vol. XVII, p. 21, n. 7, decisio 9 ianuarii a. 1925 *coram Jullien;* vol .XX, p. 41, n. 7, 2, decisio 30 ianuarii a. 1928 *coram Mannucci;* vol. XXV, p. 390, n. 11, decisio 21 iunii a .1933 *coram Guglielmi.* Cfr. etiam vol XV, p. 43, n. 8, decisio 5 martii a. 1923 *coram Prior* in qua validum edicitur matrimonium, cui nupturiens se non sine peccato substrahere existimavit).

VICARIATUS URBIS TRIBUNAL APPELLATIONIS

ROMANA

Nullitatis Matrimonii

(ex capite impotentiae a parte viri)

Sententia definitiva in altero jurisdictionis gradu

In jure. - 2. - Recitat con. 1068 1: « Impotentia antecedens et perpetua, sive ex parte viri sive ex parte mulieris, sive alteri cognita sive non, sive absoluta sive relativa, matrimonium ipso naturae jure dirimit ». § 3: « Sterilitas matrimonium nec dirimit nec impedit ».

Cum vero matrimonium in consensu consistat, qui, iuxta can. 1081 § 2, « est actus voluntatis quo utraque pars tradit et acceptat jus in corpus, perpetuum et exclusivum, in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem », videndum in quo consistat differentia impotentiam inter et sterilitatem in viro tantum, de quo in praesenti causa est quaestio.

Impotentia viri habetur si is incapax est ad copulam perfectam seu vere coniugalem perficiendam; quae quidem in sensu canonico habetur quando vir erecto suo membro in mulieris vaginam vere, esto gradu imperfecto, penetrat et in eadem vagina semen verum seu in testiculis elaboratum, quamvis in minima quantitate, naturali modo immediate effudit (cfr. S. R. R. Decis. 1945, pag. 575).

Vir contra, qui, quamvis copulam perfectam sensu supra explicato perficere valeat, mulierem tamen foecundare non valet, sterilis dicendus est.

3. - Praestat nunc a peritis rescire quid vero sit « semen verum seu in testiculis elaboratum ». Ad rem ita peritior in causa, Dr. Misuraca (Suppl. pp. 16 ss.): « Il testicolo è costituito da un involucro fibroso (albuginea) e da un tessuto proprio (polpa testicolare). Nel tessuto proprio si considerano tre elementi cellulari: le cellule dell'epitelio seminale, le cellule di Sertoli e le cellule di Laydig.

Le cellule di Leydig hanno funzione prettamente endocrina (androgeno=inibina) mentre alla spermatogenesi sono adibite le cellule seminali e quelle di Sertoli.

Dette cellule formano l'epitelio dei tubuli seminiferi ed han-

no (secondo la maggioranza degli AA.) come unica funzione la produzione di spermatozoi.

Nei tubuli seminiferi dell'adulto si osservano (oltre a spermatozoi liberi) le cellule seminali e quelle di Sertoli.

Le cellule seminali si dividono in tre gruppi:

1°) Spermatogoni = nello strato esterno.

2°) Spermatociti = nello strato medio.

3°) Spermatidi = nello strato interno.

Gli spermatidi sono cellule più piccole, attaccate alle cellule di Sertoli con le quali contraggono un partcolare legame protoplasmatico.

Le cellule di Sertoli si mostrano ricche di lipidi. La loro biochimica é sotto il controllo ormonale del fattore gonadostimolante ipofisario e degli androgeni prodotti dalle cellule di Leydig.

I lipidi delle cellule di Sertoli sono immersi nel lume dei tubuli insieme con gli spermatozoi il che sembra confermare i compiti nutritivi ad esse da molto tempo attribuiti.

Quando manca la spermatogenesi i lipidi si accumulano nelle cellule di Sertoli probabilmente in quanto non vengono utilizzati.

Formatosi lo spermatozoo il protoplasma si raccoglie a lato della testa alla quale rimane legato da un piccolo peduncolo. Successivamente le cellule di Sertoli si allungano quasi per spingere nel lume l'elemento maturo. Quindi si stacca il peduncolo che tiene legato il protoplasma allo spermatozo e questo cade nel lume mentre il protoplasma viene fagocitato dalle stesse cellule di Sertoli.

Gli spermatozoi, orami liberi nel lume dei tubuli seminiferi, continuano il loro cammino lungo un sistema di canali che sono:

1°) i tubuli retti;

2°) la rete di Haller;

3°) i tubuli efferenti e i coni vascolari;

4°) il canale epididimario.

Sono le ciglia vibratili di cui sono provviste le cellule epiteliali cilindriche del vasi efferenti e dell'epididimo che con i loro movimenti convogliano i nemaspermi ormai liberi verso l'uscita (Palmieri).

Oltre alle cellule ciliate nell'epididimo vi sono altre cellule che hanno funzione ghiandolare con una attività secernente che però ancora non é ben chiara. E' certo però che essa é legata alla spermatogenesi e cessa allorché questa s arresta (Longo).

Negli animali ad attività spermatogenica periodica, come i

rettili, le cellule dell'epitelio secernono infatti solo d'estate quando si ripristina la spermatogenesi.

Gli spermatozoi nell'epididimo sono ancora immobili e rimangono tali fino alla porzione distale del deferente (Walker): ciò, secondo Walker e Hartman sarebbe dovuto all'ambiente acido del canale epididimario.

Come ha dimostrato Amantea gli epididimi hanno la funzione di deposito degli spermatozoi.

L'epididimo ha sì una funzione secretoria (distinta da quella del didimo) ma detta secrezione non é costituita da liquido bensì da granuli indisciolti di materiale probabilmente nutritizio per gli spermatozoi in quanto detta secrezione, come abbiamo detto, cessa quando viene a mancare la spermatogenesi.

Pertanto l'unico prodotto di elaborazione esterna dei testicoli viene ad essere costituito dai nemaspermi (Palmieri).

Anche dalle tabelle di Zagami riassuntive degli esperimenti di Huggins e Johnson, non risulta alcuna differenza evidente per volume e composizione tra il liquido seminale proveniente da soggetti con deferenti normali e quello proveniente da soggetti con deferenti legati.

In conclusione é da ritenersi che in eiaculato mancante di spermatozoi nessun costituente provenga dai testicoli (Amantea, Boldrini, Longo, Palmieri, Mingazzini, ecc.).

D'altro canto é erroneo, a mio modo di vedere, insistere nel ritenere l'epididimo costituente del testicolo nel senso di organo produttore di seme quando é ormai nota la diversa funzione dell'epdidimo che é solo di serbatoio e di conduzone degli spernatozoi.

Inoltre la stessa definizione, derivata dalle nozioni anatomiche, ci dice che esso é un organo separato dal testicolo e che sta sopra il testicolo (epì = didimo). A questo si aggiunga la diversa funzione e cioé mentre il testicolo é deputato alla spermatogenesi, l'epididimo costituisce una semplice via spermatica deputata alla conduzione degli spermatozoi elaborati nel testicolo (come lo sono il deferente ed i canali eiaculatori).

La parte liquida dell'eiaculato é costituita invece per la maggior parte dalla secrezione prostatica ed in minima parte della secrezione delle veschichette seminali e delle ghiandole di Cowper e di Littré.

Le vescichette seminali secernono la parte densa e giallastra dello sperma. La parte invece non molto densa, lattescente e che

dà l'odore caratteristico (dato dalla spermina) é data dalla prostata.

Il secreto prostatico costituisce i tre quniti del liquido seminale totale, mentre il secreto vescicolare costituisce la quinta parte.

Gli spermatozoi appaiono immobili nel testicolo e nell'epididimo in quanto per la loro mobilità é indispensabile il fruttosio che é prodotto dalle vescichette seminali il cui aspetto funzionale fondamentale é proprio questo.

Nell'uomo il secreto prostatico ha il compito di diluire lo sperma, di aumentare la viscosità e l'adesione alle superfici su cui viene a contatto.

L'alcalinità del secreto prostatico (p. 7,6) contribuisce alla mobilità degli spermatozoi.

Le ghiandole di Cowper (ghiandole bulbo-uretrali) secernono un liquido mucoso, chiaro, ricco di albumina, a reazione alcalina, diretto a neutralizzare l'acidità urinaria del canale uretrale ed a preparare quindi l'ambiente adatto per il passaggio degli spermatozoi.

Le ghiandole di Littré producono piccole quantità di muco chiaro, filante.

Esaminiamo il fenomeno della eiaculazione.

Gli spermatozoi lasciano l'epididimo e passano nei deferenti (spinti dalle ciglia vibratili delle cellule dell'epitelio).

Frattanto le vescicole seminali si contraggono ed espellono il loro contenuto sinergicamente alla contrazione delle ampolle deferenziali.

Gli spermatozoi da una parte ed il contenuto delle vescichette seminali dall'altra vengono spinti verso i condotti eiaculatori la cui mucosa fornisce il proprio secreto.

Si forma quindi negli eiaculatori la prima miscela e cioé spermatozoi + liquido vescicolare + secreto degli eiaculatori.

Qui gli spermatozoi cominciano ad acquistare la loro mobilità.

Mentre lo sperma raggiunge l'uretra prostatica, la prostata ha elaborato intanto le proprie secrezioni versandole nel tratto uretrale.

Appena lo sperma proveniente dall'alto si congiunge al secreto prostatico il tutto viene spinto (dalla muscolatura prostatica) in avanti nell'uretra bulbare dove incontra il secreto delle ghiandole di Cowper con il quale si mescola.

Per l'energica contrazione delle fibre muscolari dell'uretra

bulbare e dei muscoli bulbo cavernosi, il liquido seminale attraversa l'uretra e fuoriesce dal meato.

Abbiamo detto precedentemente come la maggioranza degli Autori sia ormai concorde nel ritenere che la secrezione dell'epididimo non sia costituita da liquido ma soltanto da granuli solidi di materiale nutritizio per gli spermatozoi e che questa secrezione, viene a cessare quando manca il passaggio degli spermatozoi.

Nel caso d'atrofia del testicolo (come nel caso da parotite) anche l'epididimo partecipa, seppure in misura subordinata, al processo di involuzione in quanto a parte il fatto della contiguità ciò è dovuto al fatto che essi sono entrambi irrorati da due rami della stessa arteria spermatica interna (arteria testicolare ed arteria epididimaria).

Quindi sia nel caso di atrofia del testicolo che di azoospermia per occlusione degli epididimi o dei deferenti la secrezione degli epididimi viene a mancare nell'eiaculato il quale sarà costituito esclusivamente da liquido prostatico e dalla secrezione delle vescichette seminali e delle ghiandole di Cowper e di Littré ».

« Da quanto abbiamo esposto risulta che noi possiamo parlare di sperma liquido quando gli spermatozoi provenienti dagli epididimi incontrano il liquido proveniente dalle vescichette seminali. Ciò, come abbiamo detto, avviene all'incrocio dei deferenti con i dotti delle vescichette seminali (all'inizio degli eiaculatori) e quindi al di fuori della funzione testicolare.

Inoltre abbiamo detto che la parte liquida dello sperma è data per il 3/5 da liquido prostatico, per 1/5 da liquido delle vescichette seminali e per 1/5 da liquido delle ghiandole di Cowper e di Littré.

Calcolando che il volume medio della massa spermatica è ad ogni eiaculazione sui 3 cc. circa, ne deriva la seguente suddivisione: cc. 1,80 di liquido prostatico; cc. 0,60 di liquido vescicolare; cc. 0,60 di liquido delle ghiandole di Cowper e di Littré.

A volere anche ammettere che il quantitativo di liquido secreto delle ghiandole di Cowper e di Littré possa essere un pò meno di cc. 0,60 e che ci possa essere qualche decimo di centimetro cubico di una qualche secrezione liquida, del resto non dimostrata, proveniente dai testicoli, a mio modo di vedere ciò non acquista importanza alcuna in quanto questa non solo sarebbe minima ma inoltre sarebbe esclusivamente in funzione della vita e vitalità degli spermatozoi che rappresentano l'elemento essen-

ziale elaborato dalla secrezione esterna dei testicoli al fine supremo al quale sono adibiti e cioè la fecondazione.

Anche quindi, il che ripeto è tutt'altro che dimostrato, si volesse ammettere una minima secrezione liquida testicolare, questa rientrerebbe nel complesso di tutta la secrezione liquida dell'apparato escretore che è prodotta al fine di mantenere in vita e dare vitalità agli spermatozoi e pertanto non è nè « verum semen » ne tampoco « semen fecundum ».

Senza volere addentrarsi nella definizione di « semen » che vuol dire « seme » e come tale quindi dotato di proprietà fecondante perchè altrimenti non sarebbe « seme », desidero accennare invece alla definizione di « verum semen » quale essa ne deriva in base alle precedenti nostre osservazioni.

Per essere « verum semen » deve provenire dai testicoli e quindi, in base a quanto abbiamo detto, il « verum semen » è lo spermatozoo unicamente ed esclusivamente in quanto unica essenziale secrezione esterna del testicolo è la spermatogenesi.

Il « semen fecundum » è da riferirsi esclusivamente agli spermatozoi. Che sia « fecundum » o meno ciò dipende dallo stato degli spermatozoi (oligozoospermia, necrospermia, ecc.).

Queste deduzioni, del resto abbastanza chiare, si possono quindi riassumere nel seguente schema:

« Verum semen = Spermatozoi.

« Semen fecundum » = In rapporto alla vita e vitalità degli spermatozoi.

Ne consegue che tutta la parte liquida dello sperma, da qualunque ghiandola essa provenga, è in funzione della vita e della vitalità degli spermatozoi e quindi ha un fine secondario. Come tale non può essere « verum semen » ne tampoco « semen fecundum ».

4. - Hanc thesim tenent, praeter AA. a Dr. Misuraca citatos, Luciani (« *La fisiologia dell'uomo* » ed. 6, vol. III, pag. 130), Prof. Costantini, periti munere fungens in una *Romana* c. Wynen diei 25 Aprilis 1941, necnon Prof. Boganelli in judiciali excussione causae c. Wynen diei 26 Aprilis 1948.

Sunt tamen antiquiores AA., praesertim scholae germanicae, quos citat clarissimus Wynen in citata *Romana* diei 25 Aprilis 1941 et 26 Aprilis 1948, qui contra asserant semen in testiculis elaboratum non solum nemaspermata continere, sed etiam partem alicuius liquidi.

Immerito tamen quis concluderet AA. scholae germanicae

stare cum constanti S. R. R. jurisprudentia, AA. vero recentiores scholae italicae ab eadem jurisprudentia discrepare.

Quod enim constanter praedicatur a canonica jurisprudentia hoc unum est, nempe semen verum illud solum esse quod in testiculis elaboratum est, non quivis alius liquor qui partem habet in seminis eiaculatione. Et in hoc non est controversia.

Controversia est solummodo in scientifica analysi illius elementi, quod in testiculis elaboratur; quodque iuxta veteres AA. scholae germanicae consistit in nemaspermatibus mixtis alicui liquido: iuxta recentiores vero AA. scholae italicae consistit tantum in nemaspermatibus sive vivis ac vitalibus, sive vivis sed non vitalibus, sive etiam mortuis. Hinc verum manet quod semen verum non est confundendum cum semine prolifico; etenim semen verum a testiculis elaboratum constat certe nemaspermatibus, quae tamen mortua vel etiam viva sed non vitalia esse possunt atque ideo infoecunda. Quare sarta tectaque omnino manet, in huiusmodi explicatione scientifica naturae veri seminis, distinctio impotentiam inter et sterilitatem iuxta can. 1068.

Ceterum sententia illa c. Wynen diei 25 Aprilis 1941, quae ex praefatis theoriis edixit « Non constare de matrimonii nullitate in casu neque consilium praestandum esse SS.mo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato », executiva non fuit. Etenim Summus Pontifex eandem causam denuo agere permisit coram S. R. Rota quoad dispensationem super rato. Turnus autem (Grazioli, Jullien, Quattrocolo) die 30 Novembris 1943 edixit in casu constare de inconsummatione ideoque consilium esse praestandum SS.mo pro gratia dispensationis, quae die 10 Decembris 1943 concessa est sequenti rescripto: « Sanctitas Sua, audita infrascripti relatione, petitiam dispensationem super matrimonio rato et non consummato cum adiecta clausola — vetito viro transitu ad alias nuptias inconsulta Apostolica Sede — benigne largire dignata est — J. Grazioli Decanus » (cfr. Torre, *Processus Matrimonialis*, Ed. III, pag. 6,0).

Non est ideo nimis insistendum in veteribus conclusionibus scientificis, quae modernioribus mediis investigationibus superatae sint; neque timendum ex ulterioribus scientificis progressibus evolutionem provenire in canonicam jurisprudentiam. Revera principium canonicum in subiecta materia immutatum manet: verum semen est semen in testiculis elaboratum. Evolutio autem datur tantum in scientifica analysi elementi, quod in testiculis elaboratur. Et sicut olim justum fuit ex obvia observatione impotentes definire spadones et eunuchos, etsi hi humorem aliquem

emittere possent; ita nunc justum judicamus ex scientifica analysi impotentes declarare eos, qui liquidum emittere quidem possunt, sed non in testiculis elaboratum quatenus nemaspermatibus carentem, sive vivis et vitalibus, sive vivis sed non vitalibus, sive etiam mortuis.

.5 - Semen autem in testiculis elaboratum dici nequit non solum quando testiculi desunt, sed etiam quando sunt totaliter atrophici juxta Peritorum sententiam.

Item liquor, qui in vaginam quis eiaculat, verum semen dici nequit, si constet utrumque ductum deferentem penitus destructum vel occlusum fuisse.

Ad impotentiae antecedentiam comprobandam sufficit ut ex medicorum attestatione ceterisque argumentis atque indiciis morali certitudine judices, peritorum conclusionibus innixi, statuere possint virum atrophia et quidem totali laborasse ante ipsum contractum matrimonium. Si igitur vir post matrimonium nullo laboravit morbo, ante illud autem illis affectum fuisse morbis constat ex quibus peritorum sententia oritur totalis atrophia testiculorum vel ductuum deferentium destructio aut occlusio, jure meritoque impotentiae antecedentia moraliter certa dicenda est.

Quo in casu de eiusdem impotentiae perpetuitate non est ambigendum, quatenus iuxta Peritos nullum exstat remedium ad testiculos atrophicos aut canales deferentes destructos vel occlusos restaurandos.

MARCELLUS MAGLIOCCHETTI, *Curiae Officialis*
BRUNO PREVOT, *Vice-Off.*
FLORENTIUS ROMITA, *Iudex Pros. et Ponens*

Die 16 mensis aprilis 1958.
Sententia facta est exsecutiva.

STUDIA
ET
CONSULTATIONES

ACTUS HOMINIS ET ACTUS HUMANUS IN CONSUMMATIONE MATRIMONII

1. - *Quaestionis termini.* - Nuper prodiit in hac Ephemeride studium amplum seu dissertatio super iuridicis requisitis consummationis matrimonii, cuius auctor adv. Josephus Marcone, tenet copulam matrimonialem aliter ac bestiarum commixtionem exigere, ut coniuges una fierent caro, voluntatem coniunctionis.

Scribit namque praeclarus vir: « sicut actus omnes praesumendi sunt proprie humani, quia non explicaretur curnam homo intellectu et voluntate donatus sit nisi iisdem uteretur in actis ponendis, et effectus morales tantum ea lege descendunt, ita et copula praesumitur humano modo utrimque peracta et qua talis habenda est consummata cum omnibus effectibus sui propriis. Quod si praesumptio vincatur quia alter agentium caruit intellectu et voluntate, idest non egit *humano modo,* iam copula impar est effectibus moralibus gignendis qui sint utriusque partis communes; secus effectibus dicendus esset superare causam, quod absurdum est » (Monitor Ecclesiasticus, fasc. IV, an. 1957, p. 637). Ex quo patet pro nostro auctore copulam iussu legis ponendam inter coniuges « *non hominis tantum, sed humanam esse debere* » (ibid. p. 636, 2) [1].

Dicimus statim quaestionem sub his terminis positam novam non esse, nisi quid novum et peregrinum invenire datum fuerit in speciosis egregii viri argumentationibus, de quibus infra.

Interim ad rectam et plenam rei intelligentiam, et quo facilius refutetur thesis a cl. Marcone exposita, peropportunum ducimus quaedam praemittere circa originem et evolutionem controversiae in nostro foro, in qua partem nosmet habuimus non parvam ut Defensor Vinculi S. R. Rotae et de qua praeclarus auctor ne verbum quidem expendere ratus est.

2. - *Controversiae origo et evolutio.* - Libello diei 10 augusti a. 1939 tribunali ecclesiastico competenti porrecto, mulier quaedam suum matrimonium nullitatis accusavit ex capite viri impotentiae psychicae seu functionalis.

Autumabat actrix reum conventum solum tertia nocte post celebratas nuptias penetrasse, ope tamen cuiusdam excitantis, vulgo

[1] Ut ex textu et contextu citatae dissertationis apparet, haec, potius quam thesis, uti cl. Advocati opinio personalis est habenda, quam discutiendam aliis ipse protulit. (Florentius Romita).

Yoimbina: quod quidem aphrodisiacum tantum viri sistema nerveum commoverat, ut ei usum auferret rationis, qua ideo ille expers fuerit in copula perficienda.

Subsequenti tempore non obstantibus repetitis conatibus, absque tamen Yoimbina, copula coniugalis amplius locum non habuit; qua de re impotentem aestimandum esse contendebat actrix reum conventum, cuius incapacitas ad coendum nisi illicito medio tolli non poterat, seu aphrodisiacis rationis usum intercipientibus.

3. - At negative actricis petitioni responderunt Iudices primae instantiae, decernentes viri impotentiam relativam neque antecedentem fuisse neque perpetuam, cum idoneis tolli possit curationibus.

Quoad Yoimbinam, dein, nodum solverunt in facto, affirmantes substantiam illam medium esse honestum « perchè non ha effetto stupefacente ».

Appellavit actrix ad S. R. Rotae Tribunal, apud quod duplex dubium concordatum fuit, nempe: 1) An constet de matrimonii nullitate, in casu; et quatenus negative; 2) An consilium praestandum sit SS.mo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato, in casu.

4. - In hoc iudicii gradu magni momenti exardere coepit controversia.

Hinc enim sagax actricis Patronus impotentem praedicabat conventum, quia membri virilis erectionem una tantum vice obtinuerat et non « naturali modo », sed tantum Yoimbina sumpta, seu medicamento inhonesto, quod rationis usum adimit; hoc praeterea addens, quod matrimonium inconsummatum habendum esset, quatenus copula matrimonialis actus humanus non evaserit, interceptio quae fuerit rationis usus in viro.

Illinc Defensor Vinculi illud « naturali modo » excipiebat ad erectionem minime referri, sed tantum ad penetrationem, atque denegabat virum tunc absque voluntate perfecisse copulam, cum saltem voluntarium in causa haberetur, obiiciens insuper nulla iuris norma in ponendo coniugali actu quamvis requiri conscientiam.

5. - *Decisio Rotalis.* - Patres de Turno postquam negative responderunt ad primum dubium, cum nulla ex actis certitudo proflueret praesertim de viri impotentiae antecedentia et perpetuitate, positive vero decreverunt quoad dubium circa inconsummationem, aestimantes copulam fuisse actum non humanum, utpote absque voluntate et conscientia peractam, ideoque ad consummandum matrimonium inetpam.

6. - *Decretum S. Officii.* - At Romanus Pontifex, in audientia diei 16 nov. 1947, dispensationem concedere noluit et acta remittenda iussit de doctrina declaranda ad S. Congr. S. Officii; quae, vero, proposito dubio: « An matrimonium haberi debeat inconsummatum, si essentialia elementa copulae posita sint a coniuge, qui ad unionem sexualem non pervenit nisi adhibitis mediis aphrorisiacis, rationis usum actu intercipientibus », die 2 febr. 1949 respondendum decrevit: « negative ».

Et ipsa Suprema S. Congregatio, alteri dubio in eadem causa proposito die 9 maii 1951 respondit: « Causam sub aspectu impotentiae virì pertractari iam non posse ».

Re sic breviter collecta, perutile ducimus aliquantisper sistere in argumentis hinc inde allatis sive a Patrono sive a Defensore Vinculi, quia nerbum quaestionis attingunt.

7. - *Disceptatio iudicialis.* - Actricis Patronus matrimonium, in casu, inconsummatum habebat hisce fretus rationibus:

a) *membri virilis erectio obtenta non fuit « naturali modo ».*

Ita ipse argumentabatur: duo requiruntur et sufficiunt (ut coniuges habeantur ad coendum potentes): penetratio vaginae per membrum virile et effusio seminis in ea, utraque modo naturali facta (Cappello, De matrim., n. 351).

Quod requisitum de modo naturali extenditur etiam ad virgae erectionem, quae est praesuppositum essentiale pro penetratione, ita ut pateat virum habentem virgam solummodo modo non naturali erectibilem, esse impotentem sensu canonico. Et erectio dici debet modo innaturali obtenta, si iste modus consistat in usu pharmacorum, quae vim faciant naturae, ita ut corporis valetudini grave praeiudicium afferant, vel rationis usum adimant.

Contra, vero, obiiciebat Defensor Vinculi: si verum est quod copula est « actio, qua semen effunditur modo naturali in vaginam mulieris », illud « modo naturali » semper restrictum est in ecclesiastica doctrina ad *penetrationem* (ad excludendam foecundationem artificialem), et numquam extensum ad *erectionem*, ita ut, in casu, habeamus coitum naturalem, quia Yoimbina excitavit, non substituit, naturam et copulam perfectam, etiamsi mediis insolitis obtentam.

Quae Defensoris Vinculi recta opinio plus minusve roborata est a Rotali quoque sententia, quae scribebat: « matrimonium consummatum dicitur, quando vir, per membrum erectum penetrat... in vaginam mulieris, et in ipsam, modo naturali (ad exclu-

sionem nempe foecundationis artificialis) eiaculat semen in suis testiculis elaboratum ».

b) *Copula absque conscientia ac voluntate habita fuit.*

Exponebat Patronus: « actus ille nequit haberi *actus humanus*. Nemo sane infitiabitur in carnali copula magnum momentum habere instinctum naturalem: sed apud hominem, idest animal praeditum superioribus illis potestatibus spiritualibus, quae sunt intellectus et voluntas, etiam actus ille nequit abstrahi ab intellectu et voluntate... secus esset non amplius homo, sed bestia... Atqui, acta causae clare demonstrant reum conventum neque intellectu neque consequenter voluntate usum esse cum copulam adgressus est illa nocte ».

Ad quae respondebat *Defensor Vinculi*: « omnes actus, qui ab homine procedunt, sive hic sui compos sit, sive non, semper *actus hominis* appellantur. Cum, vero, actus illi procedunt ab homine usu rationis praedito et deliberate agente, dicuntur etiam *actus humani*. Elementum constitutivum actus humani est voluntarietas sub intellectuali cognitione finis.

Copulam inter actricem et conventum quod attinet, patet ipsam voluntariam saltem in causa habendam esse; nam vir voluit copulam perficere, cum praecise ob hanc rationem Yoimbinam accepisset. Attamen, etiamsi detur, per absurdum, copulam illo violento modo habitam voluntariam dici non posse, nihil hoc interesset ad inconsummationem matrimonii. Nemo unquam, enim, docuit conscientiam sui esse requisitum essentiale ad actum coniugalem perficiendum ».

Qua quidem Defensoris Vinculi in sententia dissentierunt Judices Rotales, consentiit, vero, Sacra Congregatio S. Officii responso diei 2 febr. 1949.

c) *Copula perfici nequivit nisi mediis illicitis.*

Iuxta Patroni sententiam Yoimbina sumpta grave corporis valetudini praeiudicium attulit atque rationis ademit usum. Ergo, illicita habenda.

Respondebat autem Defensor Vinculi sexualem excitationem obtentam fuisse medio non inhonesto, cum — peritorum sententia — Yoimbina medicamentum non evadat veneficum neque graviter corporis saluti nocens; ipsa tantum excitat naturam. Ceterum, pergebat Vinculi Tutor, si vir tam magnam quantitatem medicamenti non accepisset, probabilissime, ne certe dicamus, erectionem pariter habuisset sine damnosis illis effectibus ».

8. - *Commentatores.* - Res haud quievit. Subsequentibus enim annis quaestio a quibusdam auctoribus resumebatur.

Sic D. Lazzarato adnotavit Sanctum Officium suo responso diei 3 febr. 1949 seiunxisse factum inconsummationis naturale et essentialia copulae elementa ab intentione actuali « quia copula coniugalis, nuptiarum consummatio, semper servat humanam naturam, licet in somno, in ebrietate, in excitatione aphrodisiaca, in imbecillitate, posita fuerint. Coniuges enim ideo convivunt, ut, quando malint ac possint, conveniant ad suorum iurium exercitium, sicut valent ». Immo censet matrimonium ab eo quoque consummari qui « totaliter amens dicatur, si nihilosecius expleat suum officium » (Ephemerides Juris Canonici, ann. IV, n. 3).

Neque aliter visum est cl D. Staffa, qui rem pressius fusiusque in suo perutili « De Impotentia et Consummatione Matrimonii » (in « Apollinaris », 1955) tractavit et quoad praetensam voluntatis et conscientiae necessitatem in copula peragenda scribebat: « Communiter Veteres docuerunt copula quoque violenta matrimonium consummari, quia etiam hoc modo coniuges fiunt una caro...; ad negandam consummationem per copulam violentam aut inconscienter habitam quidam animadverterunt matrimonium consummatum repraesentare unionem Christi cum Ecclesia, ergo per eam solam copulam consummari quae possit hanc unionem repraesentare... et talem esse solam copulam voluntariam, cum unio Christi voluntaria fuerit. Sed respondit Sanchez copulam coniugalem vi extortam « repraesentare unionem Christi cum Ecclesia quoad substantiam... non quoad modum, haec enim unio spontanea est; illa autem violenta ».

Postquam cl. Auctor admonuit Recentiores quoque, veterum doctrinam sequentes, scripsisse copula inconscienter habita matrimonium consummari, adnotavit illicita ea tantum esse media, quae talia sint per se, natura sua et intrinsece, quae, nempe, in peccatum inducant, vel in vitae discrimen et in gravis morbi periculum. Qua de re concludebat sumptionem Yoimbinae per se non videri medium inhonestum, etiamsi usus rationis interceptio eam sequeretur. Nam « actio per se bona vel indifferens, licita est...; usus rationis interceptio, quae sequi potest sumptionem medii aphrodisiaci est effectus malus alicuius actionis, quae per se inhonesta non est, et ex qua sequitur alius effectus bonus excitandi centra nervorum illis, qui hoc stimulo iuvantur vel indigent, ideoque... usus medii aphrodisiaci, in casu, dicendus est licitus » (Staffa, o. c. nn. 9-12.)

9. - *Theoria adv. J. Marcone.* - E relatis igitur patet doctrinam tum veterum tum recentiorum consummationem matrimonii ponere in nuda corporum commixtione, praehabito utique valido consensu matrimoniali. Et in hoc non amplius videbatur locus esse ambigendi, quando, ecce, adv. J. Marcone in « Monitor Ecclesiasticus » anni 1957, fasc. IV quaestionem resumpsit, duplici sub aspectu eam considerans, morali nempe et iuridico.

Inter alia, cl. Auctor illud praesertim argumentum pressit, quod iam actricis Patronus, in praecitata causa, fusius egerat, circa necessitatem conscientiae et voluntatis in copula peragenda.

Contendit enim in provincia morali tunc tantum matrimonium consummari, cum prima copula advertenter posita sit, seu actus humanus evaserit; nam « ex copula sine intellectu vel voluntate vel libertate posita, causa morali deficiente, nullum morale iudicium exstat » (cfr. « Monitor Ecclesiasticus, fasc. IV, a. 1957, p. 635-636).

Sub aspectu iuridico, praeterea, rem considerans (seu in provincia illa in qua de validitate, potius quam de liceitate cuiusdam actionis diudicatur, cl. Auctor, praeposita distinctione inter *factum iuridicum* et *actum iuridicum*, et considerata prima coniugali copula, hanc habet uti actum iuridicum, seu actum quem, ut iuridici sequantur effectus, conscientia comitari debet atque voluntas.

Si, e contra, copula illa inadvertenter ponatur, tantum actio hominis, non vero actio humana, neque actus iuridicus, haberi potest, ita ut ex illa inadvertenter posita nullus consequatur effectus ideoque ne matrimonii quidem consummatio.

Concludit demum, adv. Marcone, adscribens primam coniugalem copulam in actuum iuridicorum numerum ideoque sub imperio canonum 103-104 et contendens eam iure naturae nullam atque irritam esse si ex vi, ex metu, vel ex errore peracta sit, vel ex dolo quoque, si dolus induxit in errorem qui versetur circa substantiam actus.

10. - Cum studio digna absque dubio appareat rei interpretatio peracri subtilique effecta ingenio, parte morali neglecta, utpote quaestionem nostram haud directe attingente, nobis consideranda veniunt ea quae sub aspectu stricte iuridico quaestionem solvere nituntur.

En Cl. advocati argumenta.

I - « *factum iuridicum* s. s. solo facto constat atque oriri non potest nisi a natura; ipsum proprie non est quod absque voluntatis consensu fit, sed quod non patitur voluntatis concursum; *actus*

iuridicus is est, qui necessario concursum voluntatis requirit... »; eventus ergo ex quibus ius depromit effectus in sua provincia sunt aut a natura aut ab Homine. Si sunt ab homine, aut voluntate fiunt, et actus iuridici audiuntur; aut absque voluntate et nihil sunt, nempe ne facta iuridica quidem, cum haec a natura sint.

Cum res ita sese habeat, prima coniugalis copula, si advertenter peracta est, actus humanus, necnon actus iuridicus, dicitur; si inadvertenter, neque actus humanus (cum deficiant conscientia et voluntas), neque actus iuridicus, neque demum factum iuridicum, quia homo, non natura egit. Est, e contra, simplex actio hominis, quae nullos parit iuridicos effectus, ita ut per eam matrimonium consummari non valeat ».

Haec cl. Auctoris argumentatio, etsi subtilissima, parum persuadet; immo quaedam continet absolute reiicienda.

Nam, facti iuridici notio arbitraria videtur, et communi Auctorum sententiae contraria. « Il fatto giuridico » — scribit Barbero — « è un avvenimento qualunque, una circostanza, cui l'ordine giuridico riconnette il sorgere di conseguenze giuridiche...; nel fatto giuridico è irrilevante la ' fenomenicità ' e sono irrilevanti la ' volontà ' e l' 'intento '...; ' irrilevanza ' non vuol dire ' mancanza '; il fatto potrebbe anche essere volontario e rispondere ad un intento dell'autore, ma resta ugualmente ' mero fatto ', se codesta volontarietà e codesto intento, benchè realmente presenti, sono giuridicamente irrilevanti, nel senso che il diritto non ne tiene conto e determina le conseguenze del fatto avendo riguardo al solo accadimento fenomenico » (Barbero, Diritto Privato, vol. I, pag. 240, 248).

Ex quo fit ut, aliter ac habet adv. Marcone, facta iuridica dicenda non sint tantum quae a natura proveniant, sed ea quoque quae ab homine, etsi sui non compote; ideoque prima coniugalis copula, inadvertenter peracta, nisi actio humana, est tamen actio hominis, generi « eventuum iuridicorum » adscribenda, utpote quae iuridicos pariat effectus.

Aliis verbis, ius factum obiectivum respicit penetrationis et seminis effusionis, necnon immutationem in mulieris corpore, huiusmodi facto et immutationi iuridica tribuens consectaria matrimonii consummationis.

Ad substantiam igitur matrimonii consummationis requiritur tantum ut ponantur essentialia illa copulae elementa; an violenter vel inconscienter, minime refert. Et ratio est, quia consensus et usus rationis requiruntur ut habeatur contractus matrimonialis iuxta can. 1081, non ut contractus ipse adimpleatur, seu ut matri-

monium consummetur. Nulla iuridica norma, enim, duo voluntatis actus statuuntur ad matrimonium perficiendum, cum plane sufficiat consensus in celebratione elicitus, ex quo utraque pars ius in corpus acquirit perpetuum et exclusivum in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem.

Neque ullo modo ad rem pertinere videntur exempla quibus Cl. Auctor voluntatis necessitatem in copula peragenda defendit, sic scribens: « Si agens scientia ac voluntate caruerit, nullo modo teneretur sui corporis solvere poenas. Si quis in amentiam lapsus stupraverit, procul dubio non est imputabilis...; nobis videtur actus iuridicus esse tum adulterium scienter et libere patratum, tum prima coniugalis copula scienter et libere peracta, cum utrumque ex voluntate pendeat. Eadem mente non videremus quare maritus, qui amens vel errore ductus se miscet cum muliere aliena, non patret delictum adulterii, cum, e contra, consummet matrimonium, si primum, pariter amens vel errans, cum uxore se iungat » (ibid. p. 647 ad 1).

Quae egregius vir antea separare voluit, nunc omnino permiscet atque confundit. Eius, enim, sententia, prima coniugalis copula nullum iuridicum parit effectum, si inconscienter vel erronee posita sit, quia « si scientia et voluntate agens caruerit, nullo modo sui operis tenetur solvere poenas... ». Edepol! Hic tum moralia tum iuridica in genere vario, mixto ac turbolento admiscentur.

Aliud est peccatum, aliud delictum, aliud demum eventus iuridicus. Ad peccandum, subiectivum sufficit elementum, neque obiectivum requiritur (uti si quis putet — et velit — adulterium patrare, peccat, etiamsi cum uxore erronee sese iungat); ad delictum vero consummandum requiritur, praeter subiectivum, seu intentio criminosa, etiam elementum obiectivum, seu corpus delicti, quo quidem deficiente, corruit et ipsum delictum (uti si quis adulterium patrare velit, peccatum quidem committit, non autem crimen puniendum, si erronee cum uxore se iungat).

Si igitur, idem non est peccare atque crimen adulterii peragere, curnam mirandum quod in matrimonio consummando, elementum tantum obiectivum, seu copula matrimonialis, considerandum veniat?

Neque satis! Ultra distinguendum inter principia, quae ius poenale, ex una parte, et ius civile s. s., ex altera, respiciant, cum in iure civili s. s. instituta quoque habeantur, quae elementum voluntarium omnino negligant, uti v. g. in casu responsabilitatis obiectivae.

Haec omnia adnotare voluimus, ut plane appareat quam parvi

facienda sint contraria argumenta, necnon quam falso institutum iuridicum civile s. s. iuxta morales quis interpretetur normas, vel etiam iuxta poenales.

Amentiam quod attinet, amplius haec, quae sequuntur, recolenda.

D. Lazzarato — uti superius innuimus — ad rem scribit: « superest ut perpendatur an copula dici coniugalis possit, et interveniat matrimonii consummatio ex parte illius, qui totaliter amens dicatur, si nihilo secius suum rite expleat officium, modo videlicet naturali. Porro negare haud censerem, quatenus, quae a natura requiruntur, atque a canone 1068 insinuantur, non defecerint. Neque hactenus umquam auditum fuit, in amentium causis, bina dubia proposita fuisse, primum de nullitate matrimonii ex defectu consensus, alterum subordinatum, ex defectu consummationis, quasi actus coniugalis modo non rationali peractus fuerit » (op. cit., n. 8).

Etsi cum cl. Auctore convenimus, eius opinio ita explananda videtur:

a) si quis amentia affectus sit momento celebrationis, matrimonium accusari potest ex capite amentiae, dum peti nequit dispensatio super rato et non consummato, quia dispensatio validum supponit contractum; quod, vero, deficeret in casu;

b) si quis, autem, amens factus sit post celebratas nuptias, sed antequam prima interfuerit copula coniugalis, neque nullitate laborat contractus matrimonialis, cum validus iam elicitus sit consensus, neque invocari potest dispensatio, iuxta ea quae supra diximus, cum generica defuerit intentio consummandi in ipsa celebratione matrimonii;

c) si quis, demum, in amentiam ductus sit ipsissimis mediis ad consummandum adhibitis, quid iuris? Ardua apparet quaestio, quae, nostro iudicio, solvi potest ac debet, iis prae oculis habitis, quae de illiceitate mediorum ad finem aliquem consequendum apud probatos auctores exponuntur.

Si enim illicita habentur ea omnia, quae in grave mortis physicae periculum inducant, ita ut « matrimonium irritum sit quoties consummari nequeat absque vitae discrimine seu gravis morbi periculo » (Staffa, op. cit., n. 6), consentaneum est illicita ea quoque esse habenda, quae, ad copulam perficiendam directa, viri psychicam producunt mortem, uti illa media aphrodisiaca, quae, ad unionem sexualem peragenda necessaria et hunc ad finem expresse adhibita, non salum « actu » (quo in casu licita essent), sed potius « habitu » rationis usum adimant, vel continuo ita requirantur,

ut copula perfici nequeat nisi ex iis multis adhibitis et in amentiam ineluctabiliter ducentibus.

Gravis mediorum illiceitas facit ut copula tamquam infecta habeatur, atque matrimonium inconsummatum maneat, iuxta illud « quae contra ius fiunt, debent utique pro non infectis habere ».

II - Cl. Marcone sic pergit: « Responsum S. Officii diei 2 febr. 1949 quod attinet, nobis mens Supremae Congregationis haec fuisse videtur: tunc tantum copulam inconscienter peractam consummare matrimonium, cum caret 'actu' usus rationis; quod si pars non 'actu' sed 'habitu' careat, contraria esset sententia. Certo Suprema Congregatio prae oculis habuit intentionem virtualem, qua pulsus vir, etsi obnubilata conscientia, egit, actum ponendo, in quem paulo ante plena scientia et voluntate pro viribus tendebat..; huiusmodi copulam valide non peragit qui rationis usu habitualiter caret. Ideo prima coniugalis copula humano tantum actu perficitur ».

Haec cl Auctoris interpretatio facilem nobis praebet argumentationem ad evertendam totam contignationem ab ipso extructam.

Si enim ad copulam peragendam, uti tenet adv. Marcone, adhaerendo Responso S Officii, neque intentio neque conscientia actualis necessaria sunt, indubitanter prima copula matrimonium consummatur, etiamsi illae deficiant, nempe etiamsi tantum actus hominis copula illa evadat, minime vero actus humanus. Quo autem admisso — et admittit cl. Auctor — plane corruit, uti est consentaneum, princeps argumentum in distinctione innixum inter factum iuridicum et actum iuridicum, quatenus et ipse concedit matrimonium consummari copula, etsi inconscienter habita.

At, praeterea, illa Responsi S. Officii interpretatio nullimode, nostro iudicio, admitti potest, cum res aliter sese habeat ac cl. Marcone opinatur. Nam, nonne tenuit Sacra Congregatio apertissimis verbis matrimonium consummari « si elementa substantialia copulae posita sint a coniuge », utrum advertenter vel inadvertenter minime interest? Et his positis, quomodo argumentari potest ex sequentibus verbis, de necessitate intentionis « virtualis » in peragenda copula?

Responsum haud edixit matrimonium consummatum esse, in casu, quia in viro saltem virtualis adfuisset intentio, qua deficiente, consummatio non interfuisset; sed potius decrevit ad consummationem matrimonii tantum sufficere ut essentialia copulae elementa posita sint, independenter a conscientia et ab intentione actuali.

Qua de re, reiecit S. Officium necessitatem intentionis « actualis », quin vero « virtualem » requireret; ideoque ne nos quidem illam vel hanc requirere possumus, iuxta illud: quod lex voluit dixit, quod noluit tacuit.

Neque — bene notetur — contrarium hic asserimus ac superius, cum conscientiae et voluntatis in copula peragenda necessitatem reiecimus, existimantes sufficere consensum in celebratione elicitum, ex quo utraque pars ius in corpus acquirit perpetuum et exclusivum in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem .

Haec enim est nostra sententia, quod ad matrimonium consummandum, neque « actualis » requiritur intentio, neque « virtualis », si talis habeatur praecipue « *intentio copulandi* », quae immediate actui praecedat, iuxta adv. Marcone (« certo Suprema Congregatio prae oculis habuit intentionem *virtualem*, qua pulsus vir... egit, actum ponendo, in quem *paulo ante* plena scientia... tendebat »), sed sufficit intentio illa generica, quam ipse matrimonialis consensus, momento celebrationis elicitus, certo complectitur.

Ceterum, quandonam, in causis dispensationis super rato sive apud S. C. de Sacramentis sive apud S. R. Rotam peractis, de intentione plus minusve actuali vel virtuali actum est? Nonne in argumento tantum physico ex una parte, et in argumento morali ex altera, innituntur Patres ad quaestionem enodandam?

11. - Verbulum nunc manet expendendum super postremam adv. Marcone sententiam, iuxta quam canones 103-104 C. J. C. « omnes moderantur iuridicos actus, quos inter primam coniugalem copulam, et non solum contractus », quae copula irritatur, si posita sit ex vi physica, ex errore substantiali, necnon ex dolo in errorem substantialem inducente.

Satis erit obiicere iuridica instituta vis, erroris et doli, minime ad primam coniugalem copulam pertinere, cum copula haec, uti supra demonstravimus, potius eventus iuridicus habenda sit, quam actus iuridicus; ideoque remota illa praemissa: « relata prima coniugali copula inter actus iuridicos », corruunt et consectaria omnia, cum eventui iuridico aptari nequeant iuridica illa instituta, quae tantum iuridicum respiciunt actum.

12. - Ex hucusque dictis plane evincitur recta opinio, quae ad matrimonii consummationem requirit ut tantummodo essentialia copulae elementa ponantur, etiamsi absque conscientia et voluntate.

AEGIDIUS DEL CORPO
Defensor Vinculi S. R. Rotae

NORMÆ A JUSTINIANO CARD. SERÉDI CONSCRIPTÆ DE FONTIBUS C. J. C. EDENDIS

Nuper celebrabatur quadragesimum promulgationis Codicis Juris Canonici anniversarium (27 maii 1917). Dignum sane est, ut hac fausta occasione pia recolatur memoria illorum, qui in hoc arduo munere summas habuerint partes. Imo tempus iam adesse videtur, ut viri studiosi ad ipsam codificationis historiam scribendam quamprimum accedant. Nos de hac re iam pridem (*Monitor*, 1956, 463-481) conati sumus per summos apices disserere; nunc autem liceat nobis e manuscriptis [1] Card. Serédi documenta proferre publicique iuris facere, quae circumstantias ipsam codificationem antecedentes, concomitantes subsequentesque luculenter illustrant, methodumque in canonibus redigendis fontibusque colligendis adhibitam nobis manifestant.

A) NORMAE PRACTICAE PRO CODICE ATQUE COLLECTANEA CODICIS JURIS CANONICI PRELO SUBMITTENDIS [2].

(Romae, in Aedibus Vaticanis, 4 Jan. 1916).

1) Antequam notarum correctio etiam in IV et V Codicis Juris Canonici libris perficeretur, et antequam canonum numeri currentes definitive stabilirentur, iam duo facere possumus:

a) In schedulis conscribere singulorum canonum indicem ana-

---

[1] Manuscripta Card. SERÉDI in Archivo Montis Pannoniae (Pannonhalma, in Hungaria):

1. Codicis Juris Canonici Fontes. Vol. I. (originale).
2. Codicis Juris Canonici Fontes. Vol. II. (originale).
3. Codicis Juris Canonici Fontes. Vol. III. (originale).
4. Codicis Juris Canonici Fontes. Vol. IV. (originale).
5. Codicis Juris Canonici Fontes. Vol. V. (originale).
6. Codicis Juris Canonici Fontes. Vol. VI. (originale).
7. Codicis Juris Canonici Fontes. Vol. VII. (originale).
8. Codicis Juris Canonici Fontes. Vol. VIII. (originale).
9. Codicis Juris Canonici Fontes. Tabellae. Vol. IX. (originale).
10. Codicis Juris Canonici Fontes. Tabellae. Vol. IX. in dactylogr.
11. Codicis Juris Canonici Notae. (Lib. I-II).
12. Codicis Juris Canonici Notae. (Lib. III).
13. Codicis Juris Canonici Notae. (Lib. IV-V).
14. Codicis Juris Canonici Notae. (Omnes).
15. Codicis Juris Canonici redactionem concernentia scripta varia. Ad Codicis Juris Canonici Fontes scripta varia.
16. Codicis Juris Canonici Schema. (a. 1916).
17. Codicis Juris Canonici Schema. (definitivus).

[2] Manuscript. nr. 15.

lyticum ita tamen, ut omnes schedulas, quae *verba* seu indicem analyticum ad eundem canonem pertinentia exhibent, simul in bursa peculiari claudamus bursaeque numerum currentem canonis, quem ille nunc habet, inscribamus. Idem numerus etiam in sinistro angulo inferiore singularum schedularum scribatur ad cautelam. Ubi vero numeri currentes canonum iam fixi erunt, eosdem praedictis schedulis inscribemus necnon et bursis, atque delebimus numeros provisorios. Schedulas tamen in eisdem bursis reponemus, postquam iisdem alphabetico ordine compositis indicem analyticum Codicis Juris Canonici confecerimus.

b) Pari modo in distinctis schedulis scribemus singulas *citationes* (ex antiquo Corpore Juris Canonici etiam singula capita singulosve canones; ex Conciliis itidem singula capita vel canones; ex libris liturgicis singulos numeros; ex reliquis fontibus leges tantum), indicando omnia, quae in foliis, in quibus fontes collegimus, inveniuntur. In angulo sinistro inferiore etiam numerum provisorium canonis scribemus, ad quem respectivus fons allegatur. Schedulae autem ad eundem canonem canonisve paragraphum pertinentes in peculiari bursa ponantur quae bursa ostendat canonis numerum currentem provisorium, quem ille nunc habet. Ubi vero canonum numeri iam fixi fuerint, schedulae extrahantur de bursis scribanturque in singulis schedulis numeri iam fixi.

Scribantur vero schedulae hoc pacto:

aa) in parte superiore schedarum in angulo sinistro scribatur: *N*, si fons in Collectanea ex integro vel saltem remissive refertur, — secus scribatur nihil; in angulo dextro omnium schedarum scribatur: *Can.*

bb) Deinde inferius in linea 1 scribatur integra citatio ex antiquo Corpore Juris Canonici, ex Conciliis, ex libris liturgicis; ex reliquis autem fontibus: nomen Pontificis cum verbis initialibus constitutionum etc., vel nomen SS. Congregationum cum locis etc. decretorum, instructionum; in 2 linea quoad citata ex antiquo Corpore Juris Canonici et quoad libros liturgicos scribatur nihil; quoad reliquos autem fontes (Concilia, Pontifices, Congregationes) ponatur datum, vel data si plura sint. — Si fons plura habeat data, toties describatur in schedis, quot sunt data, ita tamen ut in singulis schedis successive data sibi subsequentia sublineantur singula. — In 3 linea quoad leges, quas in Collectanea ex integro vel remissive referimus (Concilia quaedam, Pontifices, Congregationes) indicetur opus, in quo ipsas invenimus, quoad reliquas vero leges scribatur nihil.

cc) Demum in angulo sinistro inferiore omnium schedularum scribantur numeri currentes canonum provisorii ad cautelam, ut nempe in casu fortuitae confusionis schedularum facile colligi possint schedulae quae ad eundem canonem pertinent. Ubi vero numeri currentes canonum iam fixi erunt, illi scribantur post verbulum *Can.* in dextro angulo superiore schedularum, numeri vero provisorii expugnantur. — En exempla schedularum:

Can.	Can.	Can.
c. 11, C. XVI, q. 3	c. 7, X, de electione, I, 6	Reg. 15, R. J., in VI°
18	135 § 1	178
N. Can.	Can.	N. Can.
Conc. Nicaen. I, c. 3 a. 325 Denz. n. 49	Conc. Trid., sess. XXV, de ref, c. 3	Pius IX, const. Apostol. Sedis 12 oct. 1869 § I, n. 1, Coll. Pr. II, pag. 30
203	257 § 1	738
N. Can.	N. Can.	Can.
S. R. C., Romana, 8 apr. 1874, ad I D. A. III, n. 3472	S. C. C., Romana 18 aug. 1733, ad XI Pall. Abbas § I, n. 15, 19	Rit. Rom. tit. I, c. 1, de sacrament. in gen. n. 1
594 § 4	793	1237 § 2

2) Ubi canonum numeri currentes iam fixi erunt, facta eorundem substitutione, ut sub n. 1, a. et b. dictum est, incipit ordinatio schedularum. Scl.

a) Schedulae ad indicem analyticum pertinentes, confecto Codicis Juris Canonici indice analytico, iterum iuxta canones ordinatae in propriis bursis analyticis remittentur in eisque manebunt.

b) Schedulae vero quae fontes citatos referunt, ordinabuntur ita, ut schedulae eundem fontem exhibentes colligantur et iuxta se positae in bursis ponentur, ne iterum confundantur. Ad quod poterunt adhiberi eaedem bursae, in quibus praefatae schedulae iuxta canones compositae includebantur. Deleri tamen debebunt in bursis numeri currentes canonum et inscribi ipsae citationes contentae.

Ordinabuntur vero schedulae atque in suis bursis includentur, si ex antiquo Corpore Juris Canonici, vel ex libris liturgicis citata referunt, ordine consueto vel respective secundum dignitatem; si vero alia exhibeant citata, secundum ordinem chronologicum permiscebuntur (Concilia, Pontifices, Congregationes).

Notandum tamen schedulas plura data referentes durante praedicta ordinatione loco separato poni debere; ordinatione et collatione vero textuum cum respectivis canonibus peracta conferri cum fontibus, qui separatim eadem data referant. Qua collatione facta iidem fontes separatim ac toties citentur, quot data referunt totidemque de eisdem schedulae conficiantur. Hoc modo complere poterimus priora posterioribus!

3) Absoluta praedicta ordinatione conficietur tabella abbreviationum quoad modum citandi fontes ex Corpore Juris Canonici antiquo (quod quidem etiam tempore collationis textuum fieri poterit). Fontes ex antiquo Corpore Juris Canonici citentur: Ex Decr. Gratiani more solito, ex Decretalibus vero in foliis prelo submittendis exscribendo integros titulos ob maiorem consequentiam et claritatem et ob minorem laborem in schedis iam conscriptis corrigendis. Omnino conficiatur tabella abbreviationis nominum Summorum Pontificum, SS. Congregationum, denominationis actorum (const. litt. ap. decr. declar. instr. etc.) locorum, Ordinum, Congregationum religiosarum). Prae oculis habeantur declinationes grammaticae ad quas singula nomina pertinent, et ita fiat abbreviatio omnino sibi consequens et constans. Scl. nomina vel sunt in nominativo vel genitivo vel cum ad accusativo. Nominativus III declinationis abbrevietur in *en* (Cassinen.), reliquarum declin. integre scribantur (Romana) — In Genitivo sing. et plur. sicut et accusativus (et forte dat) integre scribantur, quibus citatae leges datae fuerint, item mensium (et dicatur: mense Maio!) quorum nomina forte maiusculis scribantur. Quarum abbreviationum tabella deinde constanter prae oculis habeatur.

4) Abbreviationum tabellis compositis mox sequetur collatio textuum citatorum cum respectivis canonibus atque compositio indicis analytici ipsorum fontium. Incipiendo nempt a schedulis, quae c. 1, D. I, referunt, aperitur antiquum Corpus Juris Canonici, legitur citatum et confertur cum omnibus et singulis novis canonibus, in quibus iuxta schedulas idem citatum occurrit. Si citatum cum canone non congruat, schedula a reliquis separatur atque citatio in eodem canone deletur; si vero et in quantum citatio cum canone congruat, stabilitur modus abbreviationis ipsius fontis omnesque schedulae eundem fontem referentes ita corriguntur, ut constanter eadem forma abbreviata citatio fieri possit. Mox aperitur respectivorum canonum (quibuscum citatum congruit) bursa analytica et sub iisdem verbis quibus ibidem, brevis index citati c. 1, D. I, conscribitur in inferiore margine ipsius schedulae, vel nova schedula pro hac re adhibetur, in qua citatum et respectivi canonis numerus currens inscribitur. Ita fiet, si citatum quoad unam tantum rem cum canone congruit. Quodsi autem congruat quoad plures res (quarum sane distinctae schedulae in canonis bursa analytica inveniuntur, vel si non inveniantur, modo conscribi debent atque ita Codicis Juris Canonici index analyticus compleri, nam tali fontium cum canone collatione ipse canon sub diversis respectibus consideratur), totidem schedulae analyticae conficientur, inscribendo ipsis citatum et numerum currentem canonis, ad quem pertinent. Novae autem schedulae indicis analytici fontium in bursa parantur, in qua respectivi canonis schedulae analyticae inveniuntur. Quoad libros liturgicos, qui propter aliquam formulam tantum citantur, pro indice analytico sufficiat: Formula benedictionis ap., absolutionis etc. Ita ordinabuntur, conferentur tt ad indi-

cem analyticum adhibebuntur citationes, qui neque ex integro neque remissive in Collectanae II sq. voluminibus allegantur.

Quoad hos ultimos autem praeter supradicta observentur adhuc sequentia: Ubi fons in Collectanea ex integro vel remissive citandus atque chronologice primus cum respectivis canonibus congrue invenitur (dummodo non agatur de Pontificum bullis in Coena Domini, nam istas non citabimus ullo modo), statim recipiet numerum currentem, porro ex integro describitur, vel remissive allegatur, addito etiam opere authentico, unde haustus sit. (Istud opus solis maiusculis indicetur, v. gr. B. R. = Bullar. Rom.) Quodsi fons in §§ vel N. N. divisus non inveniatur, dividatur a nobis in n. n., addita nota divisionem non Legislatoris tsse, sed nostram. (Vel numerus currens fontis a nobis divisi cum* signetur). Quoad decisiones Congregationum remissive citatas, utiliter breve earundem summarium pro Collectanea post allegationem remissivam inserenda conficeretur, vel saltem dicendum esset, quamnam canonis partem decisio illustraret. —

Mox numerus currens fontis ita collati atque exscripti vel remissive allegati in margine superiore schedularum eundem fontem referentium post litteram N. scribetur, atque index analyticus in eisdem schedulis vel in novis (praesertim si quoad plures res fons cum canone congruat) conficitur, in quibus tum ipsum citatum exactissime indicetur etiam quoad §§, vel n. n., tum numeri currentes fontis atque canonis ad quem pertinent. Demum schedulae istae analyticae cum reliquis schedulis analyticis respectivi canonis in eadem atque communi bursa includantur.

5) Ubi ex fontibus integre vel remissive referendis tot columnae iam erunt impressae, quot unum volumen Collectaneorum efformare possint: conficietur index syntheticus istorum fontium, qui in initio voluminis positus, praemissis fontium numeris currentibus ad columnas provocabit.

6) II et sq. Collectaneorum voluminibus iam impressis schedulae citationum iuxta canones et in singulis canonibus modo consueto ordinantur atque in forma abbreviata iam stabilita ad calcem paginarum I voluminis citantur, additis in parenthesi etiam numeris currentibus, sub quibus forte Collectaneorum I sq. voluminibus inveniuntur. Indicentur autem fontes in nota ad calcem, etiamsi in *textu* novorum canonum ad eosdem fiat provocatio. Conficietur porro index syntheticus I voluminis, qui ad columnas provocabit. Item conficietur I voluminis Prooemium.

7) Deinde schedulae citationum diversimode colligentur atque tabellae componentur: tabella ex Corpore Juris Canonici; tabella chronologica reliquorum fontium; tabella ex libris liturgicis; tabella Conciliorum, Pontificum, Congregationum, Decisionum particularium, Locorum, Ordinum, Congregationum religiosarum. Quodsi idem fons plura loca referat, in tabellis sub primo tt. nomine ponatur fusius; sub posterioribus vero nominibus fiat provocatio ad primum (v. gr. S. C. C., Lunen.-Sarzacen.... Sarzanen. cf. Lunen.-Sarzaren).

8) Tabellis confectis schedulae citationum quae etiam indicem analyticum continent, a reliquis separatae-schedulis analyticis canonum et fontium miscebuntur, conficieturque index analyticus Collectaneorum, qui ad numeros currentes canonum eorumque paragraphos et ad citata provocabit, eodem modo abbreviata, quam in I volumine in notis referuntur, additis sane etiam §§, vel n. n., necnon et numeris currentibus, si in Collectaneis inveniantur.

9) Conficietur index indicis analytici, qui ad columnas provocabit referetque singula verba.

10) Demum conficietur index syntheticus huius ultimi voluminis Collectaneorum.

En methodus minutiosa, qua usus est Card. *Serédi* in schedulis conscribendis et fontibus canonibusve conferendis. Immensus est labor qui exinde manifestatur. Ante publicationem Codicis hic erat ipsius modus procedendi. In ingenti manuscripto *latino* Card. *Serédi* unicus textus, qui *Hungarico* sermone sit conscriptus; dignum sane, qui memoriae commendetur:

a) 1916 VII. 17-1916. XI. 21, ig cédulákat irtam (inde, a 17, VII, 1916 usque ad 21, XI, 1916 schedulas conscripsi).

b) 6 napig cédulákat ostályoztam (per sex dies schedarum dispositio).

c) 1916. XII. 1-1917. VI. 29 — ig összehasonlitás az 1916. kodexkiadással (1, XII, 1916-29, VI, 1917: comparatio cum redactione anni 1916).

d) 6 napig cédulák osztályozása (per sex dies schedarum dispositio).

e) 1917. VII. 4-1917. VIII. 7 — ig összehasonlitás a végleges szöveggel (4, VII, 1917-7, VIII, 1917: comparatio cum textu definitivo Codicis).

f) 1917. VIII. 9-1917. X. 20-ig sajtó alá rendezés (9, VIII, 1917-20, X, 1917: impressio Codicis).

B) DE VARIIS EDITIONIBUS NOVI CODICIS [3].

Duplex diversa editio Codicis Juris Canonici videtur curanda: altera sine notis, cum notis altera. Illa simpliciter « Codex Juris Canonici » vocabitur, haec vero « Collectanea Codicis Juris Canonici ». Jam de utraque.

I. *De Codice Juris Canonici.*

1) Codex Juris Canonici (iussu Pii PP. X inchoatus, ipso atque Benedicto PP. XV auspice continuatus eiusdemque auctoritate editus) continebit solum textum simplicem novorum canonum quin ulla adnota-

[3] Manuscript. nr. 15.

tione ornetur. Erit nempe futurus Ecclesiae Codex qui utpote leges ecclesiasticas exhibens natura sua censebitur bonum commune omnium. Proinde proprietas litteraria nemini reservabitur. Ad summum mera lege ecclesiastica poterit praecipi ut ad eiusdem novam editionem curandam S. Sedis specialis licentia petenda conditionesque ab eadem praescribendae servandae, eodem modo ac de collectionibus decretorum singularum Romanarum Congregationum Leonis XIII const. « Officiorum et munerum » 25 ian. 1897, n. 33 praescribit.

2) In imprimendo autem Codice Juris Canonici singulis canonibus ad integram paginarum latitudinem productis atque per libros, partes, sectiones, titulos, capita, articulos divisis superimponantur numeri currentes ut in eiusdem Codicis Schematibus hucusque sub secreto Pontificio editis observabatur. Iidem porro numeri currentes etiam in margine superiore uniuscuiusque paginae describantur.

3) Indicem porro recipiet Codex Juris Canonici in initio syntheticum, in fine analyticum. (Iste posterior in editione maiore in columnas dividetur, in editione vero minore ad totam paginae latitudinem protendetur.) — Index syntheticus libros, partes, sectiones, titulos, capita, articulos exhibendo ostendet materiae dispositionem generalem eodem modo ut in Schematibus Codicis videri potest, provocabitque ad canones. Index vero analyticus, qui sit abundantior potius quam restrictior, verbis alphabetico ordine dispositis comprehendet atque describet singulas res particulares atque materias, quae in Codice continentur, provocabitque ad numeros currentes et paragraphos canonum, minime vero ad paginas, Index namque analyticus a paginis independens sit oportet, ut postea ubi opus fuerit in nova Codicis Juris Canonici editione praefatus index analyticus sine fastidioso compositionis labore simpliciter transcribi queat.

Indices syntheticus et analyticus per se non pertinent ad legem ipsam, non sunt pars ipsius Codicis neque Legislatoris est eosdem componere. Talis proinde eisdem competit vis atque auctoritas, quali pollent eorundem compositores. Quod quidem in indicibus Codicis Juris Canonici expressis verbis dicatur. Scl. in titulo Indicum scribatur eosdem fuisse compositos « cura Em.mi D.ni Petri Card. Gasparri ». Quia ergo praefati indices privata sunt compositi industria, eorumdem proprietas litteraria iuxta typographicas leges internationales auctori Em.mo D.no Petro Card. Gasparri reservari poterit atque reservabitur. Cum porro, ut diximus, indices sint Em.mi proprietas, eosdem etiam in componendis Collectanae Juris Canonici indicibus legitime adhibere poterimus. — In 1 autem pagina nota quaedam opportune moneat eosdem (sc. indices) legis vim non habere, sed privatae esse auctoritatis.

4) Promulgabitur porro Codex Juris Canonici initio a. 1917, et quidem aut modo extraordinario, i. e. independenter ab Actis Apostolicae Sedis, per promulgationis bullam, adiecta quoad hunc casum clausula promulgationis legi derogatoria, aut modo ordinario i. e. praemissa pariter promulgationis bulla per insertionem Codicis in Actis Apostolicae

Sedis. (In ultimis AAS. a. 1916 fasciculis subnotatores eorundem moneantur pro anno 1917 subnotationis pretium modice e. g. 6 Libellis auctum iri quoad eos, qui etiam Codicem Juris Canonici cupiant.) — Quae quidem insertio et ipsa duobus modis fieri potest: vel per partes, vel simul. In quolibet casu promulgatio peragatur per fasciculos distinctos et separatos (qui librum efformare possint) atque sine indice ullo. Praeparentur tamen in Typographia Vaticana supradicti indices cura Em.mi Petri Card. Gasparri in fasciculis peculiaribus (in quo fasciculo index syntheticus sit separabilis ab indice analytico, numerenturque in priore numeris romanis, in posteriore numeris arabicis* signatis ut indices in initio et fine Codicis Juris Canonici ligari possint), atque subnotatoribus AAS. mittantur tanquam appendix ad Codicem Juris Canonici editionis authenticae Vaticanae (typicae). Iidem plane indices adiungantur et reliquis Codicis Juris Canonici exemplaribus in Typographia Vaticana iisdem ac in AAS. adhibebantur, typis impressis et praeparatis atque peracta Codicis promulgatione illico venalibus.

Quamvis autem Codicis promulgatio — ut innuimus — etiam per partes fieri possit, tamen praeferenda videtur promulgatio simul facienda ut scl. typographi impediantur quominus Codicem per partes promulgatum et ipsi paullatim reimprimere atque ultima quoque iam parte promulgata eundem cum Typographia Vaticana fere simultanee ac minore forte pretio vendere queant. — Quodsi Codicem nihilominus per partes promulgare placet, ante absolutam eiusdem promulgationem exemplaria iam praeparata ne vendantur, tum quia legis vim nondum habent, tum ob typographorum speculationem modo indicatam.

5) Cum autem supradicta Codicis Juris Canonici editio efformabit librum sat voluminosum, in charta subtili opportune praeparari poterit etiam editio minoris formae, in qua canones ad integram paginarum latitudinem producti sint, numeri currentes autem canonum iisdem forte non superscriberentur sed praemitterentur, ne nimium spatium pereat. In margine tamen superiore cuiuslibet paginae inscriberentur. Pretium istius editionis minoris formae sit modicum. Melius namque est modicum iusto!

6) Demum, ne Codicis promulgatione peracta multiplex eundem citandi modus oriatur, edendum est in AAS. decretum, quo SS. Congregationibus, Tribunalibus atque Officiis allegandi modus *praescribitur* certus, cui sese conformare debebunt omnino. Quem deinde citandi modum sane etiam Ordinarii locorum atque Ordinum religiosorum quoque apud Curiam Romanam Procuratores adaptabunt et ita forte etiam Auctores Juris Canonici adhibebunt. (Quodsi opportunum censeatur, poterit idem decretum etiam dictos Ordinarios, Procuratores, immo et Professores Iuris Canonici(saltem quoad praelectiones in schola) comprehendere. Iste citandi modus provocet ad verbi Codicis primam litteram: C., ad abbreviatam vocabuli *canonis* formam: *can.* et ad numeros currentes canonum subiungendo etiam paragraphum vel numerum, v. gr. ita: C. can. 205, vel Codicis can. 205. Iste citandi modus brevissimus quidem est,

et ita clarus ut cum aliorum Codicum, Conciliorum vel SS. Congregationum cutandi modo confundi nequeat.

II. *De Collectanea Codicis Juris Canonici.*

1) Collectanea Codicis Juris Canonici exhibebit novam legislationem ecclesiasticam sc. Codicem Juris Canonici cura Em.mi Card. Gasparri fontibus illustratum. Cum ergo Collectanea Codicis Juris Canonici privata industria compilata sit, eiusdem proprietatem litterariam Em. Card. iuxta typographicas leges internationales sibi reservabit, quod quidem in Operis titulo opportune indicabitur (v. gr. Cura Petri Card. Gasparri composita atque edita. Omnia iura vindicabuntur). Collectanea comprehendet plura volumina, quorum primum continebit textum Codicis Juris Canonici cum notis. In prooemio Collectaneae dicatur in citationibus relatas esse antiquas leges, quibus Codex Juris Canonici nitatur seu quae in codificatione adhibitae sint, vel quibus in componendo Codice Juris Canonici respectus habitus sit. Quoad valorem autem iuridicum istarum legum promulgatione Codicis Juris Canonici peracta provocetur ad C. can. 6. — Ita iustificabuntur etiam illae citationes, quae non ex integro. sed ex parte tantum cum legislatione in novis canonibus expressa congruunt, vel quae principium aliquod iuridicum in novis canonibus contentum exprimunt, quamvis quoad reliqua ad rem non sint.

Reliqua vero volumina referent integrum vel partialem textum fontium qui ita allegandi videbuntur, necnon et citationes remissivas decisionum particularium SS. Congregationum.

2) Jam in Collectaneae I volumine quod ut dictum est ipsum Codicis Juris Canonici textum exhibebit quodque a reliquis voluminibus separatim vendi non poterit, singulis canonibus in columnas divisis superscribentur respectivi numeri currentes canonum, qui etiam in paginarum margine superiore indicabuntur eodem plane modo, ut in ipso Codice Juris Canonici faciendum duximus. Ad singulos porro canones eorumque paragraphos ponentur ad paginarum calcem in notis linea (—) vel puncta cum virgula (;) ab invicem distinctae fontium allegationes abbreviate (sine eorumdem textu integro). Si utile iudicetur, poterit respectiva pars fontium allegatorum ex Collectanea II et sq. voluminibus, ubi ob contextum verbotenus adducendi erunt, excerpi atque singulis canonibus subiungi. Quo in casu citationes inserendae inter canones eorumque paragraphos. Sed modus iste citationis non placet, nam Collectaneorum nimium molem augeret, saepe namque idem citatum vel citati pars occurrit.

Citatio ergo hoc ordine atque modo fieri poterit:

a) Citationes ex Corpore Juris Canonici antiquo non quidem chronologice sed ordine ibidem servato (Decr. Gratiani, Distinctiones, Causae, Distinctiones de *cons.*, Decretales: X, VI°, Clem. Extravag. Joan. XXII, Extravag. com.).

b) Citationes vero ex legibus Conciliorum, Pontificum, Congregationum ad anachronismos evitandos ordine chronologico disponentur; quodsi annum tantum vel mensem indicaverint, ponentur in initio respectivi anni vel mensis; si plura citata idem prorsus datum referant, sibi succedant iuxta legislatoris dignitatem (Concilia, Pontifices, Congregationes secundum praecedentiam. Concilia inserentur iuxta tempus quo confirmationem receperunt. Notandum autem quoad istarum legum citationem: allegabuntur Concilia Generalia tantum (non plenaria vel particularia) et quidem quatenus in antiquo Corpore Juris Canonici non inveniuntur. — Romanorum Pontificum acta allegabuntur exhibendo eorum verba initialia characteribus cursivis impressa, omittendo citationis signa («-»). — SS. Congregationum leges atque decisiones etiam particulares allegabuntur cum abbreviationibus, ut in Schemate Codicis.

c) Demum sequentur citata ex libris liturgicis pariter cum abbreviationibus, ut supra.

3) In omnibus autem citatis constanter eadem abbreviationes adhibebuntur; indicantur paragraphi quoque vel numeri, sub quibus citatae legis pars, quae cum respectivo canone congruit, invenitur. Quodsi adducenda lex in paragraphos vel numeros divisa non sit, a nobis in numeros dividetur, indicando tamen in nota divisionem fuisse factam a nobis.

4) In notis porro post leges, quarum textus in II sq. Collectaneae voluminibus allegatur vel quae ibidem saltem remissive citantur: in parenthesi subiungetur numerus currens, sub quo respectiva lex invenitur. V. gr. S. C. de Prop. Fide, instr. a. 1807, n. XIII (N. 7354).

5) Huic I volumini praemittetur Tabella abbreviationum in totis Collectaneis contentarum; quodsi opportunis iudicetur ista Tabella ad ultimum volumen remittetur. Utilius tamen poneretur in initio I voluminis!

6) Pariter in initio I voluminis poneretur index syntheticus ipsius Codicis Juris Canonici, qui ergo libros, partes, sectiones, titulos, capita, articulos comprehendet et ad canones provocabit. — Qui index si placet, posset remitti vel ad finem I voluminis, melius tamen poneretur in initio!

7) In II et sq. voluminibus, ut iam innuimus, ponentur fontes qui vel ad verbum, vel saltem remissive allegandi videbuntur. — Qua de re notentur (et etiam in Collectaneorum Prooemio indicentur) sequentia:

a) Non allegabuntur textus citationum ex antiquo Corpore Juris Canonici, quippe quod facile quis sibi procurare poterit.

b) Non allegabitur textus Concilii Tridentini ex eadem ratione. Convenit enim, ut ob specialem huius Concilii auctoritatem aliqua eiusdem editio semper prae manibus habeatur.

c) Non allegabitur textus librorum ritualium quos Eppi. et sacerdotes prae manibus habere debent.

d) Non allegabuntur verbotenus decisiones SS. Congregationum Romanarum in casibus particularibus datae, seu non doctrinales, quia

illae per se legis universalis vim non habent sed casum propositum tantum respiciunt, cui legem iam existentem sive scriptam sive consuetudine inductam applicant. Quia tamen eiusmodi decisiones — ut patet — usum forensem atque stylum Curiae Romanae exhibent, nam legem a Curia Romana casibus practicis applicatam ostendunt: ad legis intelligentiam valde conferunt, unde omnino utiles censentur. Quare in II et sq. voluminibus quoad datum et ipsae allegabuntur, paucissimis forte verbis, contexendo earundem etiam summarium, vel innuendo quamnam novi canonis partem illustrent: ut autem et ipse textus earum facile inveniri possit, indicabitur in parenthesi si adsit publicatio authentica, secus non authentica vel ubi etiam ista deficiat, Regesta SS. Congregationum, in quibus citatum invenitur.

e) Verbotenus allegabuntur Concilia Generalia antiquiora, quatenus eorum textus citandi in antiquo Corpore Juris Canonici non inveniuntur. Ista tamen allegatio limitabitur ad illas respectivi Concilii leges, quae ad rem sunt, atque ad calcem paginarum in I volumine Collectaneorum revera citantur; non vero allegabitur verbotenus integrum Concilium, quia saepe permulta alia praesertim dogmatica continent, quae ad Codicem non spectant. Idem observabitur etiam quoad subsequentia Concilia, quorum leges — si ita placet — ex consuetudine inter respectivi Romani Pontificis leges citabuntur, addito tamen in parenthesi nomine Concilii, v. gr. Martin. V (in Concilio Constantien.) Const. *Ad evitanda,* a. 1418, Pius IX (in Conc. Vaticano) Const. *Pastor. aeternus* 18 iul. 1870 etc. Vel si magis congruum iudicetur, omisso Pontificis nomine, omnino constanter citabitur ipsum Concilium, quod sane magis consequens esset magisque arrideret. In quolibet casu citata ex Conciliis disponentur simul cum aliis citatis ordine chronologico, ut supra dictum est.

f) Item verbotenus allegabuntur SS. Pontificum acta (constitutiones etc.) ponenturque cum reliquis fontibus ordine chronologico. Allegabuntur autem vel ex integro vel saltem ex parte, ita tamen ut contextus haberi possit. In qua allegatione praemittentur Pontificis nomen, legis qualificatio abbreviata atque datum; subscriptiones tamen omittuntur. (V. gr. Pius IX, cont. *Apostolicae Sedis,* 12 oct. 1869.)

g) Demum eodem modo ob easdemque rationes ex integro vel ex parte allegabuntur SS. Congregationum Romanarum decreta, instructiones, epistolae encyclicae, declarationes, decisiones generales seu doctrinales — praemissis Congregationis nomine, legis qualificatione abbreviata atque dato, et omissis subscriptionibus. (V. gr. S.C.S. Off., decr. 15 maii 1879 — S.C.C., Romana, 8 oct. 1913.)

8) Iam omnes fontes in II et sq. voluminibus sive ex integro vel ex parte, sive remissive allegati imprimentur in binis columnis, eisdemque distincti numeri currentes superscribentur. In margine autem superiore singularum paginarum praeter numerationem columnarum describentur etiam data et numeri currentes fontium in iisdem impressorum.

9) Textus porro integre vel ex parte citandarum legum desumentur ex editionibus — si adsint — authenticis, secus ex non authenticis, indicato in parenthesi — si ita placet — opere, ex quo excerpti fuerint. Ita nempe responsabilitas recidet ad opus in parenthesi indicatum. Quod prasertim valebit quoad leges S. Officii, quas fere semper ex Collectanea S. C. de Prop. Fide exscripsimus [4].

10) Ubi textus allegandus iam a legislatore in paragraphos, articulos, numeros divisus invenitur, ista divisio, utpote authentica, servetur omnino. Ubi vero eiusmodi divisio authentica desideratur (praesertim in litteris encyclicis, epistolis, instructionibus): nosmetipsi textum allegandum tot distinguemus numeris, quot incisa habet, vel quot iuxta logicam eiusdem dispositionem magis convenire videbuntur (indicando ad paginarum calcem in nota eiusmodi divisionem non legislatoris esse sed nostram). Ita in I Collectaneae volumine et in Indicibus breviter omnino et facile ad allegatorum partes provocare poterimus.

11) Porro in II et sq. voluminibus, quae fontium textus continebunt, in inito vel in fine uniuscuiusque voluminis ponetur Index syntheticus ipsorum fontium in eodem contentorum. Qui index incipiet cum numero currente singulorum fontium, provocabitque ad numeros columnarum.

12) Demum ultimum Collectaneae volumen unice tabellas quasdam continebit atque indicem analyticum totius operis [5].

Ergo post praedictas tabellas inseretur Collectaneorum Index analyticus alphabetico ordine dispositus etquidem vel ita ut Index analyticus *Codicis Juris Canonici* simpliciter transcribetur, cui deinde separatus atque distinctus omnium fontium Index analyticus subsequetur,

---

[4] Ad hoc punctum propositionis P. Serédi quidam (nescio, quis sit, certe non Card. Gasparri, nam characteres litterarum non sunt ipsius) ad instar adnotationum haec addidit: « Difficultas hic exurgit ex diversis Conciliorum Bullariorumque editionibus. Principium citandi fontes optimum atque servandum videtur, sed ex quanam editione? Quod attinet citationes SS. RR. CC. necessarium videtur ipsos textus, *etiam editos* et a fortiori non editos in ipso fonte recognoscere. Unica difficultas exstat pro S. C. S. Off., sed Summus Pontifex, ex plenitudine suae potestatis, hanc licentiam concedere potest. Hoc ita intelligendum est ut textus decreti, responsionis etc. jam editus cum contextu possit comparari, quia forsan ad meliorem plenioremque textus intelligentiam quaedam erunt addenda ». — Haec autem licentia concessa non est. Nam ipse Card. Serédi pluries meminit nobis se omnia archiva SS. Congreg. Rom. absque difficultate ingredi potuisse textus fontium comparandi gratia — excepto S. C. S. Off. archivo, quod ingredi neque ipsi licuit. Textus ergo S. Offic. iam editi cum originalibus comparari nequibant hac de causa.

[5] Ulteriores propositiones particulares de Tabellis *conficiendis* hic remittuntur, eo vel magis, quia de Tabellis iam *confectis*. Ipse in fine huius articuli fusius loquetur Card. Serédi.

[6] Vol. I (1923), II (1924), III (1925), IV (1926), V (1930), VI, (1932).

vel ita ut Codicis atque fontium indices analytici alphabetico ordine compositi confundentur, quodque magis arrideret. Conficietur autem praefatus index confusus ita, ut indici analytico Codicis Juris Canonici inseretur index analyticus omnium citatorum ex antiquo Corpore Juris Canonici, ex Conciliis, ex actis Romanorum Pontificum atque Sacrarum Congregationum haustorum, item decisionum particularium, quae in Collectaneis remissive tantum allegantur (ac de quibus secus nescitur quamnam partem illustrent canonis in quo citantur), demum librorum liturgicorum. — Porro index iste analyticus atque omnino generalis minime ad paginas vel columnas provocabit, sed ad novos canones vel ad ipsa citata: ad antiquum Corpus Juris Canonici, ad Concilia et libros liturgicos in Collectaneis non verbotenus allegata; quodsi agatur de fontibus in Collectaneis verbotenus vel remissive indicatis, index provocabit ad eorundem numerum currentem, addendo etiam paragraphum et numerum, si fons ita divisus sit. Vel si magis placet, provocabit ad ipsa citata, indicando etiam eorundem numerum in Collectaneis currentem. Index autem conficietur ex citatis fontibus eatenus tantum, quatenus illi in novis canonibus allegantur, seu quatenus saltem ex parte cum novis canonibus congruunt. Quodsi praefati fontes praeterea etiam alia contineant, ea in indice analytico — utpote pro re nostra inutilia — omittentur. V. gr. Abbas in genere. — eius electio: (can. 187 § 3; 191, 2°; c. 1, C. II, q. 5; Conc. Trid., sess. XXV, de regul., c. 1, Bened. XIV, const. *Ubi primum,* 17 aug. 1743 § 1 (N. 9053).

Demum huic volumini tabellarum atque indicis analytici praemittatur index syntheticus.

13) Cum vero primum Collectaneorum volumen, in quo Codex cum citatis continetur, a reliquis Collectaneorum voluminibus separatim vendi nequeat: si opportunum iudicetur, praesertim ad scholarum utilitatem, curari poterit et alia editionis species sc. solum I volumen Collectaneae Juris Canonici seu ipse Codex Juris Canonici cum notis abbreviatis atque ad paginarum calcem positis, in quibus sane delerentur numeri in parenthesi clausi, sub quibus respectiva citata in Collectaneorum II et sq. voluminibus reperiuntur .Quae tamen editio non deberet curari ante Collectaneae Codicis Juris Canonici publicationem, ne quis ista editione adhibita legum citatarum Collectanea illico conficiat in eiusque editione nos praeveniat. Haec tamen editio recipiet indicem analyticum canonum tantum.

Ex hac propositione non omnia quidem sunt in effectum deducta, tamen luculenter demonstratur quam sollerti cura materna P. *Serédi* assidue Codici nascituro Sanctae Ecclesiae astitisse.

C) DE FONTIUM CODICIS JURIS CANONICI AUCTORE VERO.

Omnibus notum est sex prima volumina *Fontium* [6] Juris Canonici sub nomine P. Card. *Gasparri* prodiisse quin mentio facta

fuisset de laboribus ipsius P. *Serédi*. An Princeps Codificationis, magnus Ille Cardinalis, consulto silentio praeterire voluerit monachum ipsum humilem? Absit omnino!

Defuncto P. Card. Gasparri — septimum Fontium volumen publici iuris factum est cura et studio Card. *Serédi*, qui in praefatione (die 29 iunii 1935) declaravit sex quoque priora volumina ab ipso compilata esse. An Card. *Serédi* hac declaratione praecipuum suum benefactorem et magistrum — cui etiam purpuram Romanam debebat — et quem tanti aestimabat, offendere intenderit? Nullo modo! [7].

Card. *Gasparri* non est accusandus de negligentia (seu veri reticentia) neve Card. *Serédi* de irreverentia vel ingratitudine (seu falsi expositione). Neque quis hac in re subreptionem aut obreptionem insinuare audeat! En argumenta et documenta.

Ante publicationem Vol. VII Fontium Card. *Serédi* his litteris supplicibus adiit Cardinalem Secretarium Status S. S.

Strigonia, 2 Febbraio 1935

« E.mo e Rev.mo Signor Mio Oss.mo,

Fra poco uscirà il VII volume delle fonti del Codice di Diritto Canonico dalla Tipografia Vaticana. L'originale di tutti i volumi fu pre-

---

[7] En pignusculum filialis amoris P. Serédi erga magnum Cardinalem: E.mo ac R.mo D.no D.no Petro Card. Gasparri, Secretario Status SS. atque Pont. Comiss. Ius Can. Codific. Praefecto, festivo nominis die 29 iun. 1915 filialis amoris et obsequii humile pignusculum obtulit P. Justinianus Serédi O. S. B. (Litt. privatae Card. Serédi in Archivio Strigoniensi):

1. Laetatur ille signifer
Qui arci forti hostium
Vexillum primus omnium
Signum figit victoriae!

2. Exultans gaudet et pugil
Qui harenae calcans pulverem,
Pedem devicto pectori
Triumphans imponit super!

3. At omnis illa gloria
Cum ipsâ viâ deperit:
Tu Christi exoptas gloriam
Cuius premis vestigia!

4. Quae iussit Christus ardua
Per terrestrem Vicarium:
In spe supernae gloriae
Exsequeris alacriter!

5. Cribrando leges avitas,
Expungis, addis, innovas:
Ecclesiae sic Codicem
Normam vivendi construis.

6. Quum filios Pacificus
Rex, Christi in terra Claviger,
Discordes vult componere:
Te alter expectat labor!

7. Utrumque vincas! Confice
Manu virili canones;
Materna manu lacrimas
Deterge nationibus!

8. En, quam *Tu* quaeris, gloriam:
Ut omnibus sis omnia;
Quem Christum offers manibus,
Pro *hac* deposcis gratia!

parato da me. Pure la correzione delle bozze di stampa faccio io solo. Siccome però io ho il voto solenne di povertà, i volumi furono pubblicati sotto il nome del compianto Cardinale Gasparri, che ne riserbò a sè i ldiritto di proprietà, cedendone naturalmente le rendite alla Santa Sede. Perciò il titolo dei volumi I-VI era questo:

CODICIS JURIS CANONICI FONTES
cura E.mi PETRI Card. GASPARRI editi.

In quanto poi al diritto di proprietà, ogni volume riporta queste parole:

E.mus Petrus Card. Gasparri sibi reservat ius proprietatis in haec Collectanea sicut in Codicis Praefationem, Fontium Annotationes et Indices Analytico Alphabeticos.

Per assicurare le rendite delle Fonti alla S. Sede, l'E.mo Card. Gasparri — come più volte mi accennò — ci pensò anche nel suo testamento cedendo il diritto di proprietà dei volumi ad un'altra persona fisica di sua fiducia con gli stessi obblighi verso la Santa Sede. Chi fosse tale persona fisica, non lo so. Una volta l'E.mo pensò a S. E. Mons. Marmaggi.

Ora dopo la morte dell'E.mo occorrerà di decidere la questione sotto cui nome debba stamparsi il vol. VII e poscia il VIII, che sarà ultimo. Certamente si potrebbe pubblicarli sotto il nome della persona fisica indicata nel testamento dell'E.mo Card. Gasparri; però secondo il mio umile parere sarebbe meglio di pubblicarli sotto il nome dell'E.mo Cardinale Gasparri, vale a dire con lo stesso frontespizio con cui pubblicammo i volumi I-VI: cura E.mi Petri Card. Gasparri editi. E ciò non soltanto per cagione d'uniformità ma anche per render onore all'E.mo Codificatore e perchè l'originale di tutti i volumi anche di questi due ultimi, da 4 anni era già pronto e consegnato alla Tipografia Vaticana, cioè in tempo in cui l'E.mo Card. Gasparri visse ancora. Del resto qualunque sarà la sovrana decisione del S. Padre, prego umilissimamente d'informarmene cortesemente, affinchè io possa far stampare il frontespizio del vol. VII.

Mentre prego l'Eminenza Vostra di degnarsi presentare al S. Padre il volume quando sarà uscito, Le bacio umilissimamente le mani e con profondissima venerazione godo di raffermarmi dell'Eminenza Vostra Reverendissima

dev.mo umil.mo servitore vero
GIUSTINIANO Card. SERÉDI
Principe Primate di Ungheria
Arcivescovo di Strigonia ».

En responsum Sedis Apostolicae:

SACRA CONGREGAZIONE
DEGLI
AFFARI ECCLESIASTICI STRAORDINARI

Vaticano, il 15 Marzo 1935.

Num. di Protocollo: 794-35

Eminenza Reverendissima,

Voglia Vostra Eminenza Rev.ma permettermi che risponda io stesso alla lettera che Ella si compiaceva di dirigere qualche tempo fa all'E.mo Sig. Cardinale Segretario di Stato per avere una augusta direttiva intorno alla imminente pubblicazione del prossimo volume delle Fonti del Diritto Canonico.

Il Santo Padre, Cui fu sottoposta la lettera di Vostra Eminenza, disse sembrarGli opportuno che nei volumi futuri, essendo essi stati in realtà opera di Vostra Eminenza, apparisse per la verità la formula « cura et studio E.mi Cardinalis Serédi ». Naturalmente ciò non esclude che nella Prefazione sia debitamente accenato che Vostra Eminenza ha condotto a termine un Opera cui aveva collaborato l'E.mo Cardinale Gasparri Pietro di così illustre e venerata memoria.

Profitto volentieri dell'incontro per esprimere i sensi della più profonda venerazione con cui baciandoLe la Sacra Porpora mi professo

di Vostra Eminenza Rev.ma
Umil.mo Dev.mo Obb.mo Servitore
† G. PIZZARDO
arciv. t. di Nicea »

Ambae littareae ideo fiunt publici iuris *in extenso*, ne falsae interpretationi locus daretur.

De hac e Card. *Serédi* in litt. ad P. *Lugano* Ab. OSB directis [8] adhuc fusius loquitur:

« Rev.mo P. Abate, Mille grazie per la sua gentilissima lettera in data 16 corr., nonchè per il benevolo Suo articolo pubblicato sull'Osservatore Romano (15 Nov. 1935). — Io personalmente crederei che ora non occorre più di far rilevare la questione del vero compilatore delle fonti del Codice di Diritto Canonico, poichè il brevissimo ricordo del compianto Card. Gasparri, apposto al vol. VII ed approvato da S. S. dice tutto. Il frontespizio dei primi sei volumi si spiega così: Quando io apposi le note al Codice e quando cominciai la pubblicazione dei testi delle stesse, io, -- a cagione del voto solenne di povertà -- non

[8] Qui tunc, *Romae* degebat (Piazza di S. Maria Nova 54. Cfr. Manuscripta nr. 15 (ubi tres litterae in originali reperiuntur).

avevo il diritto di proprietà, e quello della S. Sede non venne riconosciuto dappertutto; quindi fu deciso che le note ed i testi delle stesse venissero pubblicati sotto il nome dell'E.mo Signor Pietro Card. Gasparri, e che per consequenza anche il diritto di proprietà tanto delle note, quanto dei volumi delle Fonti venisse riserbato a lui. Nonostante poi che dopo il trattato del Laterano con la personalità giuridica della Santa Sede in tutti i paesi civili venne riconosciuto anche il suo diritto di proprietà, quando Sua Eminenza morì, io proposi al S. Padre di continuare la pubblicazione dei volumi sotto il nome del Sign. Card. Gasparri, e ciò non soltanto per avere l'uniformità dei volumi, ma anche perchè l'originale di tutti i futuri volumi avevo già preparato e consegnato alla Tipografia Vaticana durante la vita del Cardinale. Il diritto poi di proprietà volevo riservare alla S. Sede. Ma il S. Padre mi fece scrivere che d'orinnanzi i volumi venissero pubblicati sotto il mio nome riservandone il diritto di proprietà alla S. Sede. Questa è la verità storica che addimostra che io non avevo fatto nulla contro la pietà, ma anzi volevo perpetuare *la mia gratitudine verso l'E.mo Card. Gasparri. Strigonia, 25 Nov. 1935, Gius. Card.* Serédi ».

Plane certum est has litteras non amplius commentario indigere ullo! Duo Cardinales maxime insignes S.R.E. tot laboriosis annis amicitiaque intima conciuncti ab invicem ulterius separari nequeunt: simul ingrediuntur in historiam iuris canonici ad perpetuas aeternitates!

D) DE TABELLIS FONTIUM CODICIS JURIS CANONICI.

Card. *Serédi* die 17 dec. 1939 in Academia S. Stephani de Tabellis hunc habuit sermonem inauguralem [9]:

« *Favoriscano permettermi, che nell'odierna seduta solenne invece di tener un discorso generale inaugurale, mi possa occupare con questo tema: la brevissima recensione delle sudette tabelle. Il tema a prima vista non dice molto e apparisce secco. Ma vorrei sperare, che l'apparenza non coprirà la realtà. Spettabile Accademia! Per quanto sia grandioso e prezioso un lavoro scientifico, perde molto del suo valore, se non è ornato con tabelle sistematiche che assicurano la perspicuità e l'uso scientifico e pratico.*

Quando, incaricato da Sua Santità Pio X, morto in fama di santità nel autunno di 1908 di fianco al Cardinale Gasparri d'immortale memoria, mi sono impegnato al grandioso lavoro codificatorio della

[9] Hunc sermonem Card. Serédi linqua Hungarica proferebat, sed eius versionem Italicam *Ipse* revidebat. Cfr. A Szent István Akadémia Értesitöje (1939, vol. 24), Budapest, 1940, p. 162-166.

Chiesa; oltre il mio lavoro ordinario ricevetti un compito speciale di scegliere nelle biblioteche e negli archivi il testo delle leggi, le quali tra le molti centomila norme legali della Chiesa millenovecentennale sono utilizzabili per duplice fine: appoggiare la codificazione e nell'avvenire facilitare l'interpretazione dei canoni pregnanti del Codice, che verrà promulgato. In dieci anni ho scelto, poi nei progetti del Codice e finalmente nella definitiva edizione del Codice con le note ho fatto stampare in forma di semplici richiami le leggi antiche in numero pretamente 10,500, utilizzabili quali fonti giuridiche. Queste fonti poi abbiamo usato in 26,000 casi nella redazione del nuovo Codice; in altrettanti casi possiamo usarle anche per l'illustrazione del Codice e per la determinazione del suo vero senso. Sotto il titolo Codicis Juris Canonici Fontes *feci anche accessibile il testo di 6464 di queste leggi antiche, pubblicandole dal 1923-1938 in otto volumi complessivamente con CLXXXIII+7781 pagine nella Tipografia Vaticana, in edizione ufficiale della Sede Apostolica. La pubblicazione delle altre 4000 fonti non sembrò necessaria, perchè queste facilmente si trovano nelle edizioni del antico Corpus Juris Canonici, del Sacro Concilio Tridentino e dei quattro libri liturgici Missale, Pontificale, Ceremoniale e Rituale.*

Ambedue le categorie di tutte le sudette fonti hò riassunte nel IX volume conclusivo dei Fontes in tabelle di 622 colonne, schierate secondo diversi punti di vista, per assicurare meglio la perspicuità come anche l'utilità scientifica e pratica.

La I tabella *anzitutto enumera quegli 854 canoni del nuovo Codice rispettivamente i paragrafi di questi, che non si appoggiano su fonti; poi si riferisce all'edizione con le note del Codice, la quale dagli altri canoni e dai paragrafi di questi, in forma di richiamo indica le fonti usate nella loro redazione.*

I canoni senza fonti o costituiscono diritto interamente nuovo, o codificano come leggi positive le consuetudini non scritte, le quali però in tempo della codificazione sono state in vigore, -- o inservono soltanto per l'introduzione di un titolo come anche per la divisione della materia, rispettivamente si riferiscono semplicemente ad altri canoni.

Quando il nuovo codice dell'imperatore Giustiniano, il Codex Repetitae Lectionis, *è stato fatto dai redattori in capo con Triboniano, molti accusavano i codificatori di quel tempo quasi avessero soppresso i codici, rispettivamente le leggi di Teodosio e degli altri imperatori. In tempo della grande codificazione del Diritto Canonico fummo anche noi accusati come se con indelicatezza e mancanza di pietà avessimo buttato via l'antico Corpus Juris Canonici ed in genere l' antico Diritto Canonico.*

A codeste accuse risponde questa tabella, la quale d'una parte fa vedere, che la codificazione ecclesiastica non ha soppresso affatto il diritto antico, perchè utilizza in 26,000 casi le sue 10,500 norme (fra le quali sono 3000 dall'antico Corpus Juris Canonici), ma dall'altra parte

dimostra anche che la codificazione non ha soltanto sistemato il diritto antico, ma anche portato opportune innovazioni: ha creato anche nuovo diritto, specialmente nel libro IV, nel campo della procedura canonica, perchè il Diritto Canonico è un diritto vivente, che non abborisce le innovazioni, se queste sono necessariae.

La II tabella *dall'età di Sant Anacleto (76-88?) al 1917 (alla promulgazione del nuovo Codice) enumera ad una ad una le 10,500 fonti, ed indica a ciascuna quelli canoni ed i loro paragrafi, nei quali ne abbiamo fatto uso. Da questa tabella vediamo con ammirazione, che prudente fu antica legislazione ecclesiastica, la quale anche dopo 1900 anni fornisce tante fonti utilizzabili per la codificazione; ma allo stesso tempo possiamo anche costatare il valore giuridico delle singole fonti, perchè la tabella c'indica quale fonte a quanti canoni abbiamo usata nella redazione, cioè quale a quanti canoni abbia esercitata influsso nella composizione e dà certa direzione nella loro interpretazione. Ci sono fonti, che abbiamo usate soltanto in uno caso, ma ci sono anche tali, che furono utilizzabili in 10, 20, 50, 100, anzi in più di 100 casi, p. e. la constituzione* Ad militantis *di Benedetto XIV, in data 30 marzo 1742, abbiamo usata in 140 casi, il Sacro Concilio Tridentino in più di 1000 casi.*

Riguardo a questa tabella è interessante di osservare, che le leggi antiche sono in genere brevi e pregnanti; al contrario più si avvicinano alla nostra età, più sono lunghe e diffuse, specialmente quelle decisioni che hanno valore di principio, che sono dunque decisioni, le quali costituiscono norme generali. Mentre p. e. nei secoli dopo il Sacro Concilio Tridentino una decisione della S. C. Concilii, che interpreta il concilio, contiene 10-15 righe scritte: dal XX secolo fa spesse volte anche 100-150 pagine stampate. Come se noi non avessimo già quel disciplinato pensare giuridico tanto caratteristico agli antichi!

La III tabella *enumera gli autori dei Fontes del Codice, indicando esattamente da quali autori le singole fonti derivano. Questa tabella dimostra d'una parte quale autore quale influsso esercitò nel diritto ecclesiastico universale e nel nuovo Codice (p. e. il Sacro Concilio Tridentino, Innocenzio III, Benedetto XIV ecc.), dall'altra parte è una grande apologia per il fatto, che lo Spirito Santo certamente anche nella legislazione guida la Chiesa di Cristo, perchè addimostra, che la Chiesa nella sua legislazione ha usato tutto quello che per il buono comune si ha provato opportuno. Ha usato la Sacra Scrittura, assumendone in 9 casi l'intero testo della legge; ha usato e codificato come legge universale le decisioni di 110 concili particolari. Oltre i canoni apostolici, i 20 concili generali, le costituzioni di 154 papi ed oltre le leggi di 21 sacre congregazioni romane, ha preso anche dalle opere di 13 Padri della Chiesa e di 44 scrittori ecclesiastici, di 11 collezioni private giuridiche ecclesiastiche e di 13 collezioni giuridiche profane. Fra queste ultime troviamo anche le Istituzioni dell'Imperatore Giustiniano, le Di-*

gesta, il Codex Novus e le Novelle. Sul modo di supputare il tempo, sulle formalità scritte del fidanzamento, sull'adozione e sul connesso impedimento matrimoniale, sul diritto che riguarda i contratti e sulla procedura oltre le leggi dello Stato Pontificio esercitavano influsso anche le leggi rispettive degli stati moderni (Italia, Germania, Spagna).

La IV tabella *aggruppa le fonti dal punto di vista territoriale. Primo indica quelle che si riferiscono a tutto il mondo, poi enumera i singoli continenti ed i loro paesi già spariti o tuttora esistenti, le loro provincie, finalmente le loro diocesi assieme con le fonti che le riguardano.*

Questa tabella dimostra d'una parte la giuridizione universale del Capo della Chiesa, che si estende per tutti i luoghi del mondo ed anche colle leggi di questo Capo viene esercitata; d'altra parte prova, che la Chiesa anche col suo regime monarchico rende possibile, che le parti esercitino influsso all'insieme, specie alla legislazione universale, e questo non soltanto quando la potenza centrale sopprime gli abusi che accadono nella vita ecclesiastica delle parti, ma anche quando generalizza le prudenti leggi particolari scritte o non scritte delle parti, finalmente quando a richiesta o a proposta delle parti crea delle leggi universali.

La stessa Tabella per mezzo delle leggi ci manifesta anche la diffusione e la vitalità della Chiesa. La direzione della diffusione è: Asia Minore, Africa Settentrionale, Europa Meridionale, nominatamente la Penisola Balcanica, l'Italia, la Spagna, la Francia, le Isole Britanniche, l'Impero Germanico-Romano, Europa Centrale ed Orientale, Asia Centrale ed Orientale, specialmente le Indie Orientali, la Cina ecc., l'America Settentrionale e Meridionale, finalmente l'Oceania. C'indica poi nei singoli paesi l'antichità e la vitalità della Religione Cattolica e delle diocesi; finalmente la storia della loro cultura, in quanto ci manifesta i mali e le aspirazioni di questi territori.

Simile è anche la V tabella, *la quale — separando i Riti Latino ed Orientali — assieme alle rispettive fonti enumera quelle persone fisiche e morali del clero secolare, dei religiosi e dei borghesi, per le quali furono date le singole leggi. Per mezzo di questa tabella si può costatare, quale influsso esercitavano le enumerate persone fisiche e morali sulla legislazione universale della Chiesa e su quella del nuovo Codice.*

La maggior parte delle fonti naturalmente si riferisce all'Italia ed alle persone fisiche e morali di là; poi seguono la Francia, la Spagna, la Britannia, la Germania, la Cina, le Indie Orientali, gli Stati Uniti d'America ecc. Alla patria nostra (scl. l'Ungheria) si riferiscono in genere 12 fonti, alla Transylvania: 1, alle singole diocesi e abbazie ungheresi (Bakonybél 1, Esztergom 9, Fogaras 2, Győr 1, Gyulafehérvár 3, Kalocsa 3, Nyitra 2, Pannonhalma 2, Pécs 1, Rozsnyó 1, Somogyvár 1, Szepes 2, Vác 1, Veszprém 1), complessivamente 30, alle diocesi della Croazia: 7.

Giacchè durante la vita 1900-ennale della Chiesa nacquero e sparirono stati, diocesi e varie persone morali, ovvero queste ultime in diversi tempi appartenevano a stati politicamente diversi: per adoperare più facilmente i dati delle tabelle IV e V, nella tabella *VI vengono enumerati in ordine alfabetico i nomi locali e personali, indicando esattamente il numero della colonna ove sono reperibili colle rispettive fonti.*

Finalmente la tabella VII *ed ultima invece d'un indice della materia delle fonti ci dà una breve regola secondo cui servendoci dell'Indice del Codice si trova facilmente la materia cercata. Cosicchè se questa abbiamo trovata nell'Indice del Codice, allora nella nota appartenente al canone o paragrafo indicato, troviamo in forma di richiamo quelle fonti, che contengono la materia cercata. Il testo di queste fonti possiamo poi cercare nell'antico Corpus Juris Canonici o nelle edizioni del Concilio Tridentino, rispettivamente nei quattro libri liturgici menzionati al principio del mio discorso, ovvero nella collezione di otto volumi delle fonti del Codice.*

Così diventano le fonti del Codice perspicue e facilmente utilizzabili per l'uso scientifico e pratico. Faccia il Signore, che questa pubblicazione fatta da un Ungherese faciliti per secoli il lavoro di quelli che teoricamente e praticamente coltivano il diritto canonico, promuova la giurisprudenza cristiana, e per la patria nostra renda onore.

Con questo desiderio inauguro la nostra seduta solenne, chiedendo perdono, se nel mio discorso ho parlato anche di me stesso ».

Ad haec nihil addere debemus. — In hac enim elucubratione — recurrente 40mo promulgationis Codicis Iuris Canonici anniversario —, ille: testis maxime authenticus et oculatus quaedam nobis enarrabat de Codice et arcanis ejus.

Josephus Bánk
Professor juris canonici
in Facultate Theologica Budapest.

RECENSIONES

RECENSIONES

GIUSEPPE DE MARCHI. *Le Nunziature Apostoliche dal 1800 al 1956*. Prefazione di S. E. Mons. Antonio Samoré. Roma 1957. Edizioni di Storia e Letteratura — Sussidi Eruditi n° 13.

L'A., Officiale della Segretaria di Stato e Docente di Storia della Diplomazia presso la Pont. Academia Ecclesiastica in Roma, era evidentemente il più indicato per comporre quest'opera, che è poi la necessaria e logica continuazione dei volumi di HENRY BIAUDET (*Les Nonciatures apostoliques permanentes jusqu'en 1648*. Helsinky, 1910), di LIISI KAETTUNEN (*Les Nonciatures apostoliques permanentes de 1648 à 1800*. Genève, 1912), del *Rejertorium der diplomatischen Vertreter aller Länder seit dem Westfälischen Frieden,* in corso di pubblicazione sotto il patronato del CONSEIL INTERNATIONAL DE LA PHILOSOPHIE ET DES SCIENCES HUMAINES (sono già stati pubblicati il I volume (Berlino, 1936), che va dal 1648 al 1715, e il II volume, (Zurigo, 1950), che va dal 1648 al 1715, e il II volume, (Zurigo, 1950), che va dal 1715 al 1763).

Il De Marchi ha però perfezionato e arricchito lo schema seguito dai due primi AA., in quanto ha premesso gli elenchi dei Sommi Pontefici, dei Segretari di Stato, dei Segretari della S. C. degli AA. EE. SS. e dei Sostituti della Segreteria di Stato di Sua Santità. Inoltre di ciascun Rappresentante Pontificio ha avuto cura di indicare tutti i dati relativi, ricavandoli da fonti di prima mano. In calce, poi, si trovano note bibliografiche di grande interesse per gli studiosi, i quali per mezzo dei vari Indici, messi in fine al volume (Indice delle Sedi-Indice onomastico), ne potranno utilizzare il contenuto con estrema facilità; senza di che l'opera sarebbe il classico pozzo senza secchio.

Ma, a parte questi e altri pregi formali, dal punto di vista sostanziale il De Marchi non si è limitato soltanto a « colmare una lacuna », come suol dirsi, giacchè attraverso lo schematismo della serie dei Nunzi negli ultimi 156 anni egli offre in quadro sintetico della presenza viva della S. Sede nel mondo per mezzo della sua opera diplomatica nell'età contemporanea, da quando cioè (osserva autorevolmente S. E. Samoré nella *Prefazione*), grazie anche all'istituzione dalla S. C. degli AA. EE. SS., la Diplomazia Pontificia, configurandosi ai tempi nuovi, ha assunto struttura ben definita e precisa in nuove forme e crescenti sviluppi. Bastino alcuni dati. Scorrendo questi elenchi, si trovano i nomi di ben quattro Papi e tutta una serie di uomini, i quali hanno lasciato un'impronta notevole nella storia della Chiesa. Se poi si consulta la *Raccolta di Concordati su materie ecclesiastiche tra la Santa Sede e le Autorità Civili,* a cura di Angelo Mercati, e che va dal 1098 ai giorni nostri, si rileverà come i due terzi di quest'opera contegono Concordati, conven-

zioni e analoghi documenti, che si devono appunto all'attività di uomini di Curia e di Nunzi Apostolici di questo periodo.

Certo, se dopo aver ordinato con rigore scientifico questa vasta galleria di nomi, l'A. facesse come da guida, illustrandoci di ciascuno di questi personaggi l'attività svolta attraverso le fonti e la bibliografia in argomento (che il De Marchi mostra di conoscere perfettamente), avremmo una sintesi vivente della diplomazia pontificia negli ultimi 156 anni.

La presente opera del De Marchi, nelle Serie dei *Sussidi Eruditi* delle *Edizioni di Storia e Letteratura,* reca il n° 13; senza essere superstizioni, ci vuole « le quatorzième »: appunto un altro volume, che, facendo seguito a questo, lo integri e lo illustri compiutamente.

Fiorenzo Romita

L'Attività della Santa Sede nel 1957, Roma, Tipografia Poliglotta Vaticana.

Cuius hic mentio fit volumen, nitidis emendatisque litterarum formis excusum, praecipua refert acta et documenta, quae ab Apostolica Sede, per integrum anni decursum, edita sunt.

Inter ea quae Summus Pontifex, feliciter regnans, vel egit, vel docuit, peculiari mentione digna videntur litterae Encyclicae, quibus initium *Fidei donum,* diei 21 aprilis 1957, De catholicarum missionum condicionibus, praesertim in Africa (A.A.S., 49, pp. 265), litterae Encyclicae *Miranda prorsus,* diei 8 septembris 1957, (Ib. pp. 765 ss.) de re cinematographica, radiofonica ac televisifica; Epistola Encyclica *Le pelerinage de Lourdes,* diei 2 iulii 1957, primo exeunte saeculo ex quo Deipara Immaculata Virgo in Lapurdensi specu sese conspiecendam dedit (Ib. pp. 605 ss.). Quibus addenda sunt haec documenta: Motu proprio, diei 19 martii 1957, quo indulta a Constitutione Apostolica *Christus Dominus* extenduntur (Ib. pp. 117 ss.); allocutio diei 24 februarii coram praeclaris medicis, chirurgis atque studiosis habita, qua Summus Pontifex respondit quaesitis de doctrina catholica quoad anaesthesiologiam propositis (Ib. pp. 129 ss.); Nuntius radiophonicus diei 6 martii 1957 datus ad alumnos catholicarum scholarum Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis, ad sollecitandam caritatem erga pueros indigentes ceterarum Nationum (Ib. pp. 215 ss.)

Ex Actis vero Sacrrum Congregationum, prae ceteris, recensenda videntur Decretum Supremae Sacrae Congregationi S. Officii, diei 31 Ianuarii 1957 *De affinitate* (Ib. p. 77); decretum Sacrae Congregationis Concilii diei 25 iulii 1957, quo obligatio legis ieiunii et abstinentiae pervigilio festi Deiparae in coelum Assumptae statuta, deinceps, in pervigilium festi Immaculatae Conceptionis B. M. V. transfertur (Ib. pp. 638); decretum Sacrae Congregat;onis de Relgiosis diei 30 iulii 1957, de Reli-

giosis servitio militari adstrictis (Ib. p. 871); decretum Sacrae Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus diei 12 iulii 1957, de ratione, qua dimissi e Seminariis denuo admitti possint. (Ib. 640).

Haud dubium quin quotquot hoc volumen, nitidis quoque imaginibus ope lucis impressis ditatum exornatumque attente pervolutaverint, facile quasi ob oculos sint habituri Ecclesiae universae vitalitatem interituram nunquam.

Innocentius Parisella
A studiis S. C. Concilii

Torre Joannes., *Processus Matrimonialis.* Edit. III revisa et aucta recentissima jurisprudentia rotali. Neapoli (Italia). D'Auria 1956. Pag. XI-755.

Eodem anno, quo in Actis Apostolicae Sedis (1936 n. 10 pag. 313-372) edita fuit a S. C. de disciplina Sacramentorum Instructio servanda a Tribunalibus dioecesanis in pertractandis causis de nullitate matrimoniorum (cui Instructioni praemissum fuit Decretum quod verbis incipit « *Provida Mater Ecclesia* »), cl. A., in Facultate Juris Canonici apud Pont. Athaeneum « Angelicum » Professor atque Advocatus S. Concistorii et civilis, breve epithomen edidit, in quo pro quibusdam citatae Instructionis articulis commentarium exaravit, cui secunda arrisit fortuna.

In hac tertia editione cl A., praeterquamquod commentarium pro singulis fere articulis compilavit, Auctorum sententias ac jurisprudentiam, praesertim S. R. Rotae, suis in locis peropportune retulit.

Praeter commentarium casibus practicis illustratum additae sunt Appendices, quarum utilitatem nemo est qui non videat; etenim, praeter Instructiones, quibus normae referuntur, adsunt Allocutiones Summi Pontificis Pii XII f. r. de re matrimoniali, formulae in processu adhibendae, specimina varia, perplures Sententiae peculiares quaestiones respicientes, responsiones sive Pont. Commissionis ad Codicis canones interpretandos, sive S. C. S. Officii, tabulae synopticae et accuratissimus Index analytico-alphabeticus.

Iuxta illud: « praxis sine theoria est coecus in via; theoria sine praxi est currus sine axi », clar.mus Torre utrumque vitavit, conatus et praxim et theoriam simul illustrare, quamvis, attenta exegetica methodo ab A. adhibita, praxis exigentiae praevaleant dogmaticae systematicae. Revera opus dicatum potius est justitiae administrantibus in Tribunalibus ecclesiasticis quam studentibus ac professoribus: hi tamen elementa copiosa habebunt pro suis theoricis elucubrationibus; illi vero perutile vademecum in suis muneribus adimplendis.

Florentius Romita

LAZZARATO DAMIANUS. *Jurisprudentia Pontificia de metu, cc. 214 et 1087.* - Ed. D'Auria. Napoli 1956. Pag. LIV-1380.

Cl. A., in Romana Curia Advocatus, jurisprudentiam de metu juxta c. 214 vel c. 1087 C.J.C. a Tribunalibus Pontificibus ac Dioecesanis, cum interventu interdum SS. Congregationum (praecipue S. Officii et Sacramentorum), editam in unum collegit, ut si quis causam habeat de metu proponendam, defendendam, impugnandam vel definiendam, similes casus jam solutos considerare possit. Hinc 622 causas cl. A., in compendium redegit, quarum tres ex c. 214 omnesque contrariae; 619 ex metu simplici et reverentiali; et quidem 332 favorabiliter solutae; nonnullae oscitantes de metu sint an potius simulationis; quinque dispensatae a rato et non consummato; una nulla declarata ex metu simulque dispensata ob inconsummationem; duae favorabiliter solutae a Signatura Apostolica.

In « Prolegomenon » cl. A quaestiones indigitat de metu quoad originem, naturam, divisionem, obiectum, subiectum etc.

Dein Index habetur et causarum ex c. 214 juxta Ponentes earumque obiectum, et causarum ex c. 1087 a Signatura Ap. et Curia Romana juxta Ponentes diesque earumque obiectum.

Praeterea habetur compendium singularum causarum quae divisae sunt in:

I favorables: A) juxta metum inferentem: a) in virum; b) in puellam; c) in locis Missionum;

B) juxta metum patientem, qui est: a) vir; b) puella; c) in Missionis locis;

II negativae: A) Iuxta metum inferentem: a) in virum; b) in puellam; B) Iuxta metum patientem, qui est: a) vir; b) puella.

Amplissimum volumen concluditur indice principiorum et argumentorum ordine alphabetico digesto.

Quoad ipsam operis naturam in primis notanda venit contaminatio quaedam inter fontem ac elaborationem doctrinalem: etenim si cl. A. fontem exhibere voluisset jurisprudentiae de metu, referre debuisset textus jurisprudentiales fideliter — etsi partialiter — in voluminis corpore, in fine vero conclusiones ab iisdem textibus synthetice depromptas; si vero elaborationem doctrinalem de metu conficere voluisset, tractatum systematicum — sit etiam jurisprudentia innixum — parare debuisset.

Divisio autem causarum systematica, attenta earum nimia quantitate, accuratior desideraretur ratione non solum metus auctoris ac patientis, sed etiam finis, mali imminentis, modi metum inferendi, ut quis casus analogos invenire posset iis, quibus reapse incumbit.

Praeterea conclusiones distinguendae fuissent potius quam ordine alphabetico, ordine systematico et in primis quoad jus substantivum, quod attinet, quoad metum in genere eiusque qualificationem in singulis huius elementis, quoad metum in specie (sc. communem, reve-

rentialem, mixtus) et quidem ratione auctoris, patientis, finis, mali imminentis, modi metum inferendi. Singula, conclusio numeranda fuisset, ut collationes inter conclusiones parallelas facile fieri possent.

Perutilis etiam fuissent Indices causarum juxta Tribunalia (SRR, Sign. Ap., Comm. Cardinalitiae), Ponentes, exitum.

Ceterum opus abundantem exhibet materiam, quam quisque pro modulo suo sumere ac digerere poterit.

FLORENTIUS ROMITA

Ks. WLADYSLAW NACHTMAN, Trybunal Roty Rzymskiej: Historia, organizacja, postepowanie, Lublin 1957.

L'Autore, in questa pubblicazione, presenta la sua tesi di laurea, conseguita nella Facoltà di Diritto Canonico, presso l'Università Cattolica di Lublino, in Polonia.

Detto benemerito Istituto, fondato dopo la riacquistata indipendenza politica della Polonia nel 1919, proprio sotto l'ispirazione dell'allora Nunzio Apostolico Mons. Achille Ratti, non ha mai sospeso la propria attività, neanche durante il duro periodo di stalinismo di quella Nazione.

La Facoltà giuridica, sia civile che canonica, conta fa i suoi alunni molti avvocati, magistrati e funzionari.

Ci viene ora innanzi il lavoro del Rev. Wladyslaw Nachtman sul Tribunale della S. Romana Rota. In essa egli traccia le linee storiche della S. Rota, espone la sua organizzazione interna e il modo di procedere nelle cause ivi agitate. Ampia è la bibliografia; particolarmente interessanti i cenni sugli Uditori polacchi: fra questi, dell'inizio del secolo XV, viene ricordato Jacobus de Kurdwanowa.

Possiamo concludere che il Rev. Nachtman, esaminandone le fonti, ha validamente contribuito alla conoscenza storica di questo Dicastero Pontificio, quale è la Sacra Romana Rota.

Mons. BOLESLAO FILIPIAK

HÄRING, B. *La Legge di Cristo: I. Morale generale.* Brescia, Morcelliana, 1957, pp. 583.

La traduzione italiana del I volume dell'interessante opera del notissimo P. Häring C. SS. R. offre, in decorosa veste, specialmente ai nostri laici studiosi dei problemi religiosi, un vasto e profondo contributo alla loro cultura.

L'impostazione Cristocentrica del problema morale permette all'A. di articolarne la soluzione, in maniera assai originale e pratica, sulla

sintesi dei rapporti tra il Cristo e l'uomo: l'appello di Cristo, la risposta dell'uomo.

Dopo un capitolo preliminare sulla impostazione del problema, che della morale cristiana presenta il panorama storico e l'idea-madre, la esposizione dell'appello di Cristo si snoda in una accurata analisi del soggetto concreto dei valori morali e del compito morale del seguace di Cristo, che ne è l'oggetto.

Nella risposta dell'uomo si esamina il rifiuto costituito dal peccato, la conversione e il conseguente sviluppo e perfezionamento nell'imitazione di Cristo attraverso l'esercizio delle virtù cristiane.

Addentrandoci in questa felice sintesi panoramica, efficacemente emergente a dissipare slegate e perturbanti visioni di singoli dettagli, veniamo condotti, con logica stringente ed accogliente nel tempo stesso, ad una visione completa ed ordinata di tutto l'insegnamento tradizionale, applicato alla mentalità contemporanea ed ai pratici sviluppi dei sistemi moderni di vita.

C'è da augurarsi che quanto prima, nell'interesse della nostra cultura religiosa, si renda facilmente accessibile l'opera completa con la pubblicazione della traduzione dell'altro volume.

E. Boccalini

A. Bugnini, C. M. - C. Braga, C. M., *Ceremoniale della Settimana Santa.* Roma, Edizioni Liturgiche, 1957, pp. 132, £ 500.

Il volumetto contiene il cerimoniale rinnovato della Settimana santa. Quindi opportunamente riproduce « Le disposizioni generali » ricavate dai vari documenti ufficiali circa le varie forme del rito solenne o semplice suddiviso nei quattro giorni più importanti.

La trattazione si divide in tre parti: 1. Rito solenne; 2. Funzioni con l'assistenza del Diacono; 3. Rito semplice. Ogni parte contiene il cerimoniale proprio per ciascun giorno: Domenica II di Passione o « delle Palme »; Mattutino delle tenebre; Giovedì Santo; Venerdì Santo; e Sabato Santo (che noi avremmo preferito chiamare « Veglia Pasquale », essendo aliturgico il Sabato Santo).

Per ogni giorno vi sono elencate le cose da preparare nei vari luoghi dove si compiono i sacri Riti, e vi è svolto ampiamente il cerimoniale. S'intende che la parte preponderante è data al Rito solenne.

Oltre alla completezza, chiarezza e competenza, il volumetto ha una caratteristica che diremo *esclusiva.* Contiene note storiche e suggerimenti pratici i quali risolvono in partenza dubbi che potrebbero venire all'ultimo momento quanto la cerimonia si prevede prolissa.

Diamo qualche esempio. « Per facilitare ed alleggerire lo svolgimento della cerimonia (della distribuzione delle Palme) queste si possono distribuire alla porta della chiesa... In tal caso occorrerà preparare sulla apposita mensa in presbiterio almeno i rami da benedire

e distribuire al clero in modo che non venga a mancare la distribuzione ». (p. 18, n. 1).

Conclusione pratica: rispetto delle prescrizioni, maggior pulizia in chiesa (o almeno in presbiterio), minore confusione e più rapido svolgimento del sacro rito; in tal modo la processione, secondo lo spirito della riforma, acquista la vera importanza che le si volle dare.

Circa l'omissione del *Confiteor* alla Comunione del Giovedì Santo così annotano gli autori: « La confessione e l'assoluzione prima della Comunione nella Messa sono nient'altro che il rito della Comunione *extra Missam,* portato nello svolgimento del Sacrificio. Ora la Messa è da considerare nel suo complesso di cui la Comunione non è che una parte. Quindi la confessione e l'assoluzione poste all'inizio del Sacrificio, come preparazione, sono di preparazione anche alla Comunione. E' giusto perciò che tale restituzione del valore proprio alle singole parti sia resa evidente almeno oggi, nella Messa commemorativa dell'istituzione dell'Eucaristia » (p. 40-41, n. 11).

Tale spiegazione rende più chiaro il significato di questa parte della Messa, che — come le 3 *Ave Maria* finali — finisce per essere una delle poche preghiere, e meno significative che i fedeli recitano collettivamente durante l'azione sacra.

Crediamo che questi due saggi servano per dare un'idea del valore dell'opera che non è un semplice cerimoniale, ma una vera enciclopedia liturgica intorno ai più venerandi riti del nostro culto.

D. Balboni

G. Baldeschi, C. M., *Sacre Cerimonie,* 10 ed. Roma, Edizioni Liturgiche - Desclée, 1957, 484 p.

E' la decima edizione del manuale notissimo di cerimonie che passa per antonomasia sotto il nome dell'autore, « il Baldeschi ».

Esso è aggiornato ai Decreti della Sacra Congregazione dei Riti nella semplificazione delle rubriche « *De rubricis ad simpliciorem formam redigendis* », del 23 marzo 1955, e nella Settimana Santa restaurata: « *Ordo hebdomadae sanctae instauratus* » del 30 novembre 1955.

Le cerimonie della Settimana Santa sono esposte secondo le tre forme previste: Rito solenne, semplice e con assitenza del diacono.

Inoltre la presente edizione è stata arricchita de « Le funzioni pontificali », da parecchio esaurite.

In tanto fervore di rinnovamento liturgico le cerimonie — come il canto e l'arte —pur considerate come espressioni esterne del culto pubblico dovuto a Dio (e non quindi fine a se stesse), tuttavia non devono essere disprezzate o trascurate per il valore sacramentale, psicologico e comunitario che la Chiesa vi attribuisce: *ut dum visibiliter Deum cognoscimus... in invisibilium amorem rapiamur.*

D. Balboni

MALINGREY, A.-M., *Initiation au latin de la Messe. Pour mieux s'unir a la prière de l'Eglise* Paris. Les éditions de l'école. 1951, 166 + 36 pp.

Come indica il titolo si tratta di una forma particolare di studio del latino indirizzata ai cristiani desiderosi di comprendere la preghiera della Chiesa per associarvisi con intelligenza.

A dir vero non si tratta di novità perchè altri (ad es. Ed. CASWALL, *The catholic's latin instructor in the principal offices and devotions...* 2 ed. London. Burns and Oates, 1884), hanno seguito la stessa via. Il vantaggio in cui si trova l'Autore è fornito dal preciso valore della traduzione francese dell'Ordinario della Messa, operata con tanta competenza dalla Prof. Mohrmann.

All'apporto scientifico, che può sfuggire al lettore frettoloso, si aggiunge l'apparato tecnico che l'Autore ha curato nei minimi particolari. Questo metodo, come precisa il Malingrey serve per chi non sa latino, e solo i principianti sono in grado di valutare se l'Autore è riuscito a risolvere le difficoltà.

L'opera è divisa in due parti: dall'inizio al Credo; e dall'Offertorio alla fine. Ogni lezione è così impostata: 1. Spiegazione storico-ascetica del testo; 2. Analisi verbale con commento grammaticale; 3. Lavori pratici, cioè trascrizione su schede di parole o forme difficili, di regole sintattiche, ecc. Per tutto questo, oltre al testo, viene suggerito il volume *Notre Messe* di Mgr. CHEVROT e la compilazione di tavole riassuntive.

Senza dubio non si può negare il valore di questo metodo attivo. « Per un cristiano il latino deve essere il qualche modo, una lingua vivente... e la vitalità delle scuole di canto gregoriano lo dimostrano »; perciò sia il benvenuto questo libro che vuole contribuire a rendere più cosciente e quindi più fruttuosa la participazione alla liturgia.

Ci sia permessa qualche nota. Non sono sfuggite qua e là sviste tipografiche, ad es. « in Honorem omnibus sanctorum » (p. 89). Avremmo inoltre desiderato che anche ad ogni singola lezione, o all'inizio o alla fine, fossero riportate per disteso le preghiere ivi analizzate, tanto nel testo latino che in quello francese.

D. BALBONI

DOCUMENTA
ET
CHRONICA

DOCUMENTA

ACTA PII PP. XII

LITTERAE ENCYCLICAE

AD VENERABILES FRATRES PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES: DE RE CINEMATOGRAPHICA, RADIOPHONICA AC TELEVISIFICA.

PIUS PP. XII

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Miranda prorsus technicae artis inventa, quibus nostrorum temporum homines gloriantur, quamquam ex humano ingenio laboreque oriuntur, dona sunt tamen Dei Creatoris nostri, ex quo omnia opera bona procedunt: « non enim solum protulit creaturam, verum etiam prolatam tuetur et fovet » [1].

Ex quibus inventis alia hominum vires potentiamque adaugent atque multiplicant; alia eorum vitae condiciones meliores efficiunt; alia denique, cum animum potissimum respiciant, vel per se, vel per artificiosas imagines ac voces multitudines ipsas attingunt, et cum iisdem cuiusvis generis nuntios, cogitata et praecepta facilitate summa communicant, quibus veluti mentis pabulo enutriantur per requietis etiam ac relaxationis horas.

Ad quae postrema inventa quod attinet, maximum aetate hac nostra incrementum acceperunt cinematographicae, radiophonicae ac televisificae artes.

Quas quidem artes, vixdum in usum invectae sunt, non modo summo cum gaudio Ecclesia excepit, sed materna etiam cura sollicitudineque vigilanti, eo consilio permota, ut filios suos, progredientis aetatis iter ingressos, a periculis omnibus tueretur.

Haec cura evigilans ex ipso a Divino Redemptore accepto munere oritur; quandoquidem, ut patet omnibus, hae novi generis artes multum conferunt ad peculiarem singulorum universaeque hominum communitatis cogitandi agendique modum.

Aliud praeterea est, cur Ecclesia eiusmodi causam e re sua potissimum consideret; ipsa enim, ratione omnino potiore quam ceteri omnes, nuntium debet singulis hominibus impertire: hoc est nuntium aeternae salutis; nuntium incomparabilis ubertatis et potentiae; nuntium denique, quem omnes homines, cuiusvis gentis et cuiusvis aetatis, accipiant atque amplectantur necesse est, secundum illud Apostoli gentium:

[1] S. Ioan. Chrys., *De consubstantiali, contra Anomoeos: P. G.*, 48, 810.

« Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia haec, in gentibus evangelizzare investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo, qui omnia creavit » [2].

Nihil igitur mirum est si ii, qui suprema Ecclesiae auctoritate fruuntur, hanc gravis ponderis causam eo consilio pertractarunt, ut sempiternae eorum saluti prospicerent, qui non sunt « corruptibilibus auro vel argento redempti..., sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi » [3]; et quaestiones omnes diligenter perpenderunt, quas res cinematographicae, radiophonicae ac televisificae christianis hodie proponerent.

Plus quam viginti anni elapsi sunt, ex quo Decessor Noster fel. rec. Pius XI, « mira sane ope marconiana » usus, primum radiophonicum nuntium « ad omnes gentes et ad omnem creaturam » edidit [4].

Atque post paucos annos idem Decessor Noster mirabilem illam Epistulam Encyclicam, cui a verbis initium est *Vigilanti cura* [5], ad Venerabiles Fratres Archiepiscopos et Episcopos Foederatarum Americae Septemtrionalis Civitatum misit; qua quidem Epistula, de cinematographicis spectaculis praecepta sapientissima impertiens, praesentibus necessitatibus consentanea, haec inter alia edixit: « Pernecessarium est ac penitus urget id providere atque efficere, ut quidquid ex Dei munere progrediens aetas in humanas disciplinas ac vel in ipsas technicae industriae artes invexerit, ita divinae gloriae, animarum saluti et Iesu Christi propagando regno reapse inserviat, ut omnes, quemadmodum Ecclesia non precari iubet, "sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus aeterna" » [6].

Ac Nosmet ipsi, per Summi Pontificatus Nostri decursum, saepe, occasione data, hac eadem de re egimus, non modo Sacris Pastoribus, sed variis etiam Actionis Catholicae sodalitatibus, christianisque educatoribus opportunas impertientes normas. Ac libenter praeterea eos coram admisimus, qui pro peculiari, quo funguntur, munere, vel cinematographicam, vel radiophonicam, vel televisificam artem exercent; iisdemque, postquam ob mirandam harum artium horumque artificum progressionem factam, Nostram patefecimus admirationem, sua cuiusque, quibus tenentur, officia significavimus; itemque magna promerita, quae adepti sunt, pericula, in qua facile incidere possunt, atque altissima illa proposita, quae eorum mentes illuminare eorumque regere volountates debent.

---

[2] *Ephes.* III, 8-9.

[3] *I Petr.* I, 18-19.

[4] Radiophonicum nuntium *Qui arcano*, d. 12 Februarii a. 1931: *A. A. S.*, vol. XXIII, 1931, pag. 65.

[5] Epist. Enc. *Vigilanti cura*, d. 29 Iunii a. 1936: *A. A. S.*, vol. XXVIII, 1936, pag. 249 sq.

[6] *Ibid.* pag. 251.

Nobis etiam, ut nostis, curae fuit hac in Romana Curia peculiare Consilium [7] constituere, cuius ex credito munere esset varias de re cinematographica, radiophonica ac televisifica quaestiones diligenter perpendere ad catholicam fidem et christianos mores quod attinet; a quo Consilio et Episcopi et ii omnes, quorum res est, opportunas normas exquirere possunt.

Persaepe Nos ipsi hodiernis hisce mirandisque opibus utimur, quibus facilius possimus gregem universum cum Supremo Pastore coniugere; ita quidem, ut vox Nostra terrae marisque spatium ac vel turbidos animorum fluctus secura tutaque supervolans, mentes hominum attingere possit in easque salutariter influere, prouti summi apostolatus munus, Nobis creditum atque hodie quasi in immensum adauctum, a Nobis postulat [8].

Cum autem noscamus et Nostras et praximi Decessoris Nostri fel. rec. Pii XI hac de re adhortationes haud parum eo contulisse, ut cinematographicae, radiophonicae ac televisificae artes homines revocare contenderent ad suam ipsorum animi perfectionem assequendam, atque adeo ad Dei promovendam gloriam, id magnum Nobis solacium affert.

Etenim studiosa vigilantique cura vestra, Venerabiles Fratres, incepta et opera inita sunt, quibus id genus apostolatus non modo in singulis dioecesibus singulisque Nationibus promoveretur, sed populos etiam amplecteretur universos, collatis viribus consiliisque.

Haud pauci publicae rei moderatores, itemque ii, qui vel ingenuis artibus vel mercandis rebus dant operam, et eorum quoque plurimi, qui vel catholici vel acatholici, id genus spectaculis intersunt, probitatem suam hac in causa gravissima comprobarunt, id non sine labore nec sine rerum iactura enitentes, ut non modo mala pericula vitarentur, sed sacrosancta etiam Dei iussa fierent, atque humanae personae dignitas in tuto poneretur.

Attamen, pro dolor, sententiam illam Apostoli gentium geminare debemus: « Non omnes oboediunt Evangelio » [9]; etenim hac quoque in re non desunt, qui Ecclesiae magisterium neque intellegant neque agnoscant, immo etiam qui omni ope aversentur: ii sunt, ut notis, qui vel inordinata lucri cupidine moventur, vel erroribus decepti, humanae naturae dignitatem libertatemque non aequo loco ponunt, vel denique de liberalibus cuiusvis generis artibus sententiam amplectuntur a veritate alienam.

Quamvis horum agendi ratio aegritudine animum oppleat Nostrum, haud possumus tamen officio Nostro deesse a rectoque deflectere itinere, fore confisi, ut verba illa, quae Divino Redemptori Nostro eius inimici

---

[7] Cfr. *A. A. S.*, d. 16 Decembris, a 1954, vol. XLVI, 1954, pag. 783-784.

[8] Cfr. Sermo ad catholicos Hollandiae, d. 19 Maii, a. 1950 habitus: *Discorsi e Radiomessaggi di S. S. Pio XII*, vol. XII, pag. 75.

[9] *Rom.* X, 16.

dixerunt, Nobis quoque tribuantur: « Scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo » [10].

E progressionibus mirandis prorsus, quas nostris hisce diebus technicae disciplinae, ad cinematographicam, radiophonicam et televisificam artem quod attinet, fecerunt, ut maximae utilitates, ita maxima quoque pericula oriri possunt.

Hae enim novae opes novaque instrumenta, quae fere omnibus ad manum sunt, vim exserunt in animos potentissimam, cum idcirco quod eos luce collustrare possunt, nobilitate evehere, puchritudine decorare; tum ex eo etiam quod eos tenebrarum obscuratione foedare, depravatione dehonestare, effrenatisque subicere queunt motibus, prouti eiusmodi spectacula res aut pravas aut honestas nostris sensibus proponunt [11].

Quemadmodum superiore saeculo, cum progrediens ars technica, ad ea, quae quaestus causa tractantur, pertinens, id saepenumero effecit, ut machinae in usum inductae, quae hominibus servire debent, eos potius in servitutem aerumnoso cum detrimento redigerent, ita pariter hodie increscentia eiusdem technicae artis incrementa, ad imagines, ad sonos, ad cogitata propaganda quod attinet, nisi suavi iugo legis Christi subiciantur [12], innumerabilium malorum fons esse possunt, quae eo vel gravia evadunt, cum non modo materiae, sed animi etiam vires misere subigantur, atque adeo humana inventa salutaribus illis utilitatibus priventur, quas ex providentis Dei consilio primum quaerere oportet [13].

Quapropter, cum gravem eiusmodi causam maiore cotidie paterni animi Nostri sollicitudine prosecuti simus, cumque salutares consideraverimus fructus, qui — ad cinematographica spectacula quod pertinet — ex Encyclica Epistula, quae *Vigilanti cura* inscribitur, per plus quam decennia duo iam orti sunt, Nos precibus sacrorum Pastorum laicorumque hominum harum artium studiosorum concedentes, cupimus per Encyclicas has Litteras normas et praecepta impertire, quae ad radiophonicas etiam auditiones atque ad televisionem attineant.

Postquam igitur instantes supplicationes Deo admovimus, ac Deiparae Virginis auxilium impetravimus, vos, Venerabiles Fratres, quorum pastoralem sollertemque curam perspectam habemus, eo consilio compellamus, ut non modo christiana hac de re doctrina in plena luce ponatur, sed ut etiam opportuna suscipiantur proposita et incepta; ideo-

---

[10] Matth. XXII, 16.

[11] Cfr. Sermo ad cultores cinematographicae artis ex Italia Romae congregatos, d. 21 Iunii, a. 1955: *A. A. S.*, vol. XLVII, 1955, pag. 504.

[12] Cfr. Matth., XI, 30.

[13] Cfr. Sermo ad radiophonicae artis cultorum coetum, d. 5 Maii, a. 1950 ex omnibus Nationibus Romae habitus: *Discorsi e Radiomessaggi di S. S. Pio XII*, vol. XII, pag. 54.

que omni ope, qua possumus, vos commonere cupimus, ut grex, unicuique vestrum creditus, advehsus quoslibet errores quaelibetque detrimenta muniatur, quae memoratarum artium usus in christianae vitae mores, non sine gravi discrimine, inducere possit.

I

Antequam de singulis quaestionibus agimus, quae ad has artes tres pertinent, ad cinematographicam dicimus, radiophonicam, et televisificam — novimus enim unamquamque earum ad mentis animique cultum fovendum peculiares causas solvendas proponere cum in liberalium, tum in technicarum et oeconomicarum disciplinarum campo — opportunum ducimus ea breviter enucleare principia, quae ad bona, hominum communitati et singulis civibus destinata, quam latissime fieri possit, propaganda pertineant.

Deus, cum summum sit bonum, nullo non tempore sua munera hominibus largitur, quos peculiari cura caritateque prosequitur; e quibus quidem muneribus alia ad animum, alia vero ad terrenae huius vitae usum spectant; suntque haec, ut patet, prioribus subiecta eodem quippe modo, quo corpus menti subigatur oportet, cum qua, antequam semet ipsum per beatificam visionem communicet, per Fidem caritatemque coniungitur, quae « diffusa est in cordibus nostri per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis » [14].

Ac praeterea, cum propriae perfectionis imaginem in homine cernere percupiat [15], huius etiam supernae largitionis eum voluit fieri participem, atque eum, horum bonorum nuntium, largitorem dispensatoremque ceteris fratribus universaeque hominum communitati factum, cum sua ipsius opera consociavit. Homo enim, ex sua ipsius natura, inde a primaeva aetate, signorum ope quae e rebus corporeis quaesita ad perfectiorem cotidie formam redigere conatus est, sua spiritualia bona cum ceteris communicare assuevit. Ex antiquissimorum igitur temporum imaginibus scriptisque ad technicas usque huius aetatis nostrae artes, instrumenta omnia quibus homines inter se coniunguntur ad excelsum illum finem contendant oportet, ut homines nempe Dei administri hac in re quodam modo evadant.

Quamobrem, ut hoc providentis Dei consilium tutius et efficacius in hominibus effectum detur, Apostolica auctoritate Nostra « Sanctum Gabrielem Archangelum, qui mortalium generi... exoptatum detulit humanae Redemptionis nuntium, caelestem apud Deum Patronum » per Apostolicas Litteras [16] constituimus earum artium, quibus homines electrica vi possunt tum verba ab absentes quam celerrime transcribere

---

[14] *Rom.* V, 5.

[15] Cfr. Matth. V, 48.

[16] Litt. Apost. d. 12 Ianuarii, a. 1951: *A. A. S.*, vol. XLV, 1952, pag. 216-217.

tum ex locis valde longinquis inter se colloqui, tum nuntios per aethereas undas mittere, tum denique res et eventus, etsi iidem procul commorantur, per imagines ante oculos relatas praesentes conspicere [17]. Mens enim Nobis erat, cum hunc caelestem elegimus Patronum, ut ii omnes, quorum in manibus benefica eiusmodi instrumenta sunt posita, quibus licet inaestimabiles Dei thesauros inter homines propagare, veluti bona semina, quae veritatis bonitatisque fructus referrent, mentem cuiusque suam ad crediti muneris nobilitatem converterent.

Considerantibus enim Nobis excelsa illa proposita, ad quae technicae nobilesque hae artes destinantur, haec obversatur quaestio: cur nempe eaedem interdum fiunt vitiorum opes ac veluti semitae? « Unde ergo habet zizania? » [18].

Omnia profecto mala, quae rectis morum normis opponuntur, non ex Deo oriri possunt, qui perfectum absolutumque bonum est, non ex ipsis technicis artibus, quae eius pretiosa sunt dona, sed ex eo tantum, quod homo, cum sit libera voluntate praeditus, iisdem donis abuti possit, prava nempe facinora perpetrando propagandoque, atque adeo cum tenebrarum principe Deique inimico se consociando: « Inimicus homo hoc fecit » [19].

Quamobrem id postulat vera hominum libertas, ut iis omnibus utamur opibus easque cum ceteris communicemus, qaue ad virtutem nostraeque naturae perfectionem conferre possint.

Ecclesia autem, cum salutiferae doctrinae magistra sit, eaque omnia habeat, quae ad sanctitatem adipiscendam necessaria sunt, inviolabili iure fruitur ea impertiendi, quae sibi ex divino mandato concredita sunt. Cui sacrosancto iuri officium eorum respondeat oportet qui publicam rem moderantur; ita quidem, ut etiam ad has artes, quibus veritatem virtutemque propaget, ei aditus patere debeat.

Qui vero Ecclesiae sinceri actuosique filii sunt, cum inaestimabile Redemptionis donum agnoscant, id efficere pro viribus iubentur, ut eadem technicis hisce inventis uti possit, quatenus ad animorum sanctitatem conferant.

Quae tamen Ecclesiae iura asseverantibus ac vindicantibus Nobis voluntas non est civili societati ius negare earundem artium ope eos nuntios easque doctrinas propagandi, quae reapse ad commune humanae consortionis bonum vel necessaria vel utilia sint.

Ac praeterea singulis etiam civibus fas esto, perspectis tamen opportunis rerum adiunctis ac sartis semper tectisque communis boni principiis, pro facultate conferre ad suum ipsorum ceterorumque mentis animique cultum hisce artibus ditandum amplificandumque.

Attamen christianae doctrinae potiorique harum artium fini con-

---

[17] Cfr. *Ibid.*, pag. 216.
[18] Matth. XIII, 27.
[19] Matth. XIII, 28.

trarium est eorum placitum atque propositum, qui hisce inventis uti velint tantummodo ad res politicas fovendas propagandasque, vel ad res oeconomicas provehendas; atque adeo nobilem hanc causam quasi negotium commerciumque considerent.

Parique modo illud eorum commentum probari nequit, qui libertatem quidquid effingendi propagandique asseverant ac vindicant, quamvis plena in luce sit positum, quae quantaque animis corporibusque detrimenta elapsis annis hisce ex principiis sint orta; non enim de recta libertate agitur, de qua supra diximus, sed de effrena potius licentia quidquid, nulla cautione habita, cum ceteris communicandi, etiamsi contra rectos sit mores et in grave periculum cedere possit animorum.

Iamvero Ecclesia, quae omnia fovet ac provehit, quae revera ad ornandos ditandosque animos pertinent — est enim humanarum disciplinarum ingenuarumque artium patrona et altrix — haud permittere potest, ut ea principia eaeque normae violentur, quae hominem ad Deum, supremum finem, dirigant ac moderentur. Nemo igitur miretur, si hac etiam in re, quae multas cautiones habeat oportet, considerate circumspecteque agat secundum illud Apostoli: « Omnia autem probate: quod bonum est, tenete. Ab omni specie mala abstinete vos » [20]

Quapropter ii procul dubio improbrandi sunt, qui profiteantur et asseverent illam etiam harum rerum propagationem esse fovendam efferendamque, quae praeceptis de re morali officiat et adversetur, modo si ad ingenuarum technicarumque artium leges conformetur. « Utique liberales artes — quod, breviter edisserendo, quinto exacto saeculo ab Angelici morte, in audientium memoriam revocavimus — id per se non postulant, ut ad ethicum vel religiosum munus dirigantur. Verumtamen si humanarum artium forma, sive verbis, sive sonis, sive imaginibus efficta, fallacibus, vacuis et turbidis adaequetur modis, qui divini Creatoris consilio non conformentur; quin immo, si mentem, si animum non ad nobiles sensus excitet, sed ad pravas potius cupiditates libidinesque concipiendas moveat, tum homines allicere potest saltem ob novitatem, quae non semper vi virtuteque pollet, vel ob exiguam eam veritatis partem, quae ex qualibet re elucet; sed tamen eiusmodi ars ex nobili suo gradu decedet, a primario ac necessario principio suo longe aberrabit, atque adeo non universalis, non perennis esse poterit, quemadmodum hominum animus, ad quem dirigitur » [21].

Ii, qui publicam rem moderantur, procul dubio gravi tenentur officio novis etiam hisce artibus consulendi vigilanter; neque solummodo debent politicis hac de re prospicere rationibus, sed publicis quoque

---

[20] *I Thess.* V, 21-22.

[21] Cfr. Sermo, quinto exeunte saeculo ab Angelici obitu, in Aedibus Vaticanis habitus d. 20 Aprilis, a. 1955: *A. A. S.*, vol. XLVII, 1955, pag. 291-292; Litt. Enc. *Masicae Sacrae*, d. 25 Decembris, a. 1955: *A. A. S.*, vol. XLVIII, 1956, p. 10.

moribus, quandoquidem tutum eorum fundamentum in naturali lege innititur, quae ut divinum testatur eloquium, scripta est in cordibus nostris [22].

Hanc evigilantem Civitatis moderatorum curam haud asseverari potest iniuste singulorum opprimere civium libertatem, cum non privatam eorum personam respiciat, sed universam potius hominum consortionem, cum qua hae artes communicantur.

« Haud ignoramus — quod iam occasione data diximus — vulgatam esse nostrae aetatis hominum opinionem, qui interpositae auctoritatis publicae impatientes sunt, praeoptandas esse etiam in re cautiones, quae ab ipsa potius communitate edantur » [23]; attamen hae normae cautionesque, quae ab eis profiscantur, qui pro suscepto munere has artes exercent, minime debent gravissimum eorum officium aversari, qui publica actoritate praesunt, quamquam laudabiliter possunt eorum actioni occurrere, atque etiam mala praevertere, quae rectis moribus facile nocere queant.

Hac de causa, ut proximus Decessor Noster, ita Nosmet ipsi libenter eos dilaudavimus, qui, pro credito hac in causa munere, opportunas ediderunt cautiones et normas, nihil tamen praeiudicatum habentes ad publicas auctoritates quod attinet. Putamus enim tum solummodo has novas artes ad rectam eorum animi conformationem, qui iisdem utuntur, facilius et aptius conferre posse, si Ecclesia, si Civitas, si ii etiam, qui id genus munera obeunt, collatis inter se recto ordine viribus, ad optatum assequendum finem adiutricem sibi invicem operam praebeant, quodsi contra eveniet, hoc est si hae artes, nullis propositis legibus nullisque de re cautionibus habitis, per pronum liberumque iter prodibunt, verum populi cultum procul dubio minuent eiusque mores pessumdabunt.

Inter varias technicas artes, quae cogitata hominum propagant, illae hodie peculiarem locum occupant, ut diximus, quae cum auribus unaque simul cum oculis, per voces nempe imaginesque, omne genus nuntios quam latissime communicant.

Hic imagines vocesque propagandi modus, ad res etiam spirituales quod spectat, aptissimus est naturae hominum, secundum Aquinatis sententiam: « Est autem naturale homini, ut per sensibilia ad intelligibilia veniat; quia omnis nostra cognitio a sensu initium habet » [24]. Quin immo videndi facultas, cum nobilior et dignior sit ceteris sensibus [25], facilius ad spiritualium rerum cognitionem conducit.

---

[22] Cfr. *Rom.* 11, 15.

[23] Sermo ad cultores artis cinematographicae ex Italia Romae congregatos d. 21 Iunii, a. 1955 : *A. A. S.*, vol. XLVII, 1955, pag. 505.

[24] S. Thom., *Summ. Theol.*, I, q. 1, a. 9.

[25] Cfr. *Ibid.* I, q. 67, a. 1.

Quamobrem praecipuae tres technicae artes, quibus auribus voces, oculis autem rerum imagines ex longinquo proponuntur, hoc est cinematographica, radiophonica ac televisifica ars, non ad homines tantummodo recreandos relaxandosque pertinent, quamvis non pauci hoc solum requirant auditores spectatoresque, sed ad ea potissimum propaganda, quae cum ad animi culturam, ad virtutemque alendam attineant, non parum possunt ad civilem nostrorum temporum societatem recte instituendam conformandamque conferre.

Faciliore modo, quam scripta typis edita, id profecto hae technicae artes efficere possunt, ut homines nempe inter se communicent sibique sociam praestent operam; quod quidem cum ad civilem omnium gentium cultum fovendum per se spectet, Catholica Ecclesia, quae ex sibi credito mandato universam hominum consortionem amplectitur, ad veri nominis propaganda provehendaque bona convertere percupit.

Atqui eo primum spectent oportet cinematographicae, radiophonicae, televisificae artes: ut scilicet veritati virtutique inserviant.

Veritati autem propagandae ea ratione inserviant, ut vincula inter populos artiora cotidie fiant; ut iidem mutua rerum aestimatione se intellegant; ut in quovis rerum discrimine se adiuvent; ut denique inter publicae rei moderatores singulosque cives adiutrix intercedat opera.

Veritati inservire non modo postulat, ut omnes ab errore, a mendacio, a fraude omnino abstineant, sed ut etiam ea omnia devitent, quae vel falsam, vel mancam, vel alicui parti obnoxiam fovere possunt vivendi agendique rationem.

Imprimis autem veritates, Deo revelante traditae, ut res sacrae inviolabilesque habeantur. Quin immo, cur ad hoc potissimum non contendant hae nobiles artes, ut nempe Dei eiusque Filii Iesu Christi doctrinam propagent, « christianamque fidem illam mentibus inculcent, quae una potest hominum multitudinibus supernam praebere vim, qua adiutae sereno animo virtuteque consentanea queant superare discrimina, angores vero tolerare praesentis huius aetatis nostrae? »[26].

Ac praeterea non modo veritati inserviant hae novae artes oportet, sed morali etiam humanae vitae perfectioni. Quod quidem tribus hisce modis, de quibus scripturi sumus, conferre enitantur: hoc est datis nuntiis, impertitis praeceptis, praebitisque spectaculis.

Cuiusvis rei notitia, etiamsi nihil aliud nisi veritatem reapse referat, aliquam tamen rationem in se habet, quae ad hominum pertinet aliquo modo conformandos mores. « Quae ratio, ad humanos mores attinens, numquam est neglegenda; nam quivis nuntius mentis iudicium provocat ac voluntatem movet. Nuntiator, qui suo munere fungatur digne, neminem suis dictis opprimat, sed conetur potius relatas iacturas, vel perpetrata crimina aptiore quo potest modo intellegere et ex-

---

[26] Sermo ad sodales Radiophonicae Societatis Italiae, d. 3 Decembris, a. 1944 habitus: *Discorsi e Radiomessaggi di S. S. Pio XII*, vol. VI, pag. 209.

plicare; quod tamen eadem excusare vel probare minime significat, sed innuere remedia ac praestare lenimenta, atque adeo ad animorum restituendam probitatem aliquid conferre » [27].

Quae supra scripsimus, maiorem procul dubio vim habent, cum de praeceptis impertiendis agitur; quam quidem causam didascaliaca taeniolae cinematographicae, radiophonicae auditiones, ac televisifica spectacula magnopere adiuvant ac provehunt, non modo ad eos quod attinet, qui adhuc iuventute florent, sed ad eos etiam, qui ad virilem iam aetatem pervenerunt. Verumtamen cavendum omnino est, ne haec impertita praecepta Ecclesiae doctrinae ac sacrosanctis eius iuribus obstent, vel recto educandae proli muneri in domestico convictu officiant atque adversentur.

Parique modo fore sperandum est, ut novae hae propagationis artes, sive a privatis exercentur civibus, sive e nutu pendent publicae rei moderatorum, varias ne impertiant doctrinas reticito Dei nomine eiusque divina lege ignorata.

Attamen, pro dolor, non ignoramus in quibusdam Nationibus, in quibus communismi athei commenta dominantur, hae technicae artes, quae aures oculosque ex longinquo attingunt, in scholis etiam eo spectare, ut religionem sanctam ex animis radicitus evellant. Quod quidem qui serena mente atque a praeiudicatis opinionibus libera consideret, facere non potest quin videat adulescentium iuvenumque conscientiam, divina veritate orbatam, novo tectoque modo opprimi, cum veritatem illam divinitus patefactam ii cognoscere nequeant, quae, ut Redemptor noster asseverat, nos liberat [28]; atque adeo hac callida ratione novam haberi adversus religionem insectationem.

Nos autem vehementer cupimus, Venerabiles Fratres, ut haec technica instrumenta, quibus e longinquo aures oculique facilitate summa suavique delectatione attinguntur, in id potissimum adhibeantur, ut pleniore animi cultura, ut cognitionibus ad sua cuiusque obeunda munera necessarii, « utque potissimum christianis principiis homines conformentur; quibus principiis neglectis, nulla, ne in rebus quidem humanis, veri nominis progressio haberi potest [29]. Optamus igitur eos omnes praeceptores educatoresque debitis honestare laudibus, qui sive cinematographicis imaginibus, sive radiophonicis auditionibus, sive televisificis spectaculis ad nobilissimam eiusmodi contendunt metam.

Animadvertendum praeterea est, praeterquam editis nuntiis et im-

---

[27] Sermo ad Nationum Societatis Consilium publicis ordinandis nuntiis, d. 24 Aprilis, a. 1956 habitus : *Discorsi e Radiomessaggi di S. S. Pio XII,* vol. XVIII, pag. 137.

[28] Cfr. Ioan, VIII. 32.

[29] Cfr. Nuntius radiophonicus ad christifideles Columbianae Reipublicae, d. 11 Aprilis, a. 1953 habitus, cum Statio Radiophonica Sutuacentiae inaugurabatur *A. A. S.*, vol. XLV, 1953, pag. 294.

pertitis praeceptis, spectaculis etiam haud parum posse has novas artes ad verum hominum conferre bonum.

Id genus enim spctacula plerumque aliquid habent, quod non solum ad delectandos homines et ad eis praebendas rerum notitias pertinet, sed ad animos etiam instituendos. Iure igitur meritoque a Decessore Nostro fel. rec. Pio XI cinematographica theatra « veluti rerum scholae » [30] appellata sunt; scholae enim idcirco dici possunt, quod id genus spectationibus scaenica actio adiungitur, in qua vividae illae species, quae versatilis lucis motu effinguntur, cum congruentibus vocibus musicisque concentibus non sine magna fascinatione ita copulantur ut non modo intellegentiam ceterasque facultates, sed totum etiam hominem attingant, eumque sibi quadam ratione coniungant, ac secum quasi rapiant ad effictam rem participandam.

Cinematographicae, radiophonicae ac televisificae artes, quamquam varia spectationum genera, iam diu in usum inducta, quodam modo amplectuntur, novum tamen unaquaeque artificium exprimit, atque adeo novum spectaculi genus, quod non paucis destinatur selectisque spectatoribus, sed hominum multitudinibus, qui aetate, vitae ordine animique cultura inter se differunt.

Ut autem, hisce in rerum condicionibus, eiusmodi spectacula id, ad quod pertinere debent, assequi queant, necesse est,ut spectatorum mentes animique tam recte instituantur atque educentur, ut non modo propriam unicuique arti formam intellegant, sed ut recta potissimum conscientia hac in re ducantur; ita ut varia elementa, quae cinematographicum vel televisificum album conspicienda proponit, vel quae ex megaphonio eduntur, mature considerare et iudicare queant, non autem, ut saepenumero contingit, eorum vi fascinationeque alliciantur et incomposite rapiantur.

Si haec animorum institutio et conformatio desit,, quae christianae doctrinae lumine collustretur, tum nec honesta oblectamenta, quae « iis omnibus, quotquot negotiis vitaeque sollicitudinibus detineantur, necessaria prorsus esse nemo est qui non videat » [31], neque mentis culturae profectus in tuto posita esse possunt.

Sanae huius spectatorum educationis necessitatem catholici laudabili consilio perpenderunt postremis praesertim hisce annis; ac non pauca sunt instituta incepta, quae eo contendunt, ut iuvenes et adulti satius aptiusque velint horum spectaculorum utilitatem et pericula perspicere attenteque considerare. Hoc tamen causam numquam praebeat spectacula frequentandi, quae rectis officiant moribus; quin immo ad ea tantum indicanda ac deligenda conducere debet, quae cum Ecclesiae praeceptis congruant ad religionis morumque normas quod

---

[30] Ep. Enc. *Vigilanti cura*, d. 28 Iunii, a. 1936: *A. A. S.*, vol. XXVIII, 1936, pag. 225.

[31] Ep. Enc. *Vigilanti cura : ibid.* pag. 254.

spectat, et quae praescriptis obtemperent ab Ecclesiasticis hac de Officii, impertitis.

Haec incepta, si, ut omnino confidamus, didascalicis principiis rectisque animi culturae normis conformantur, Nos non modo probamus, sed commendamus etiam; atque adeo cupimus, ut inducantur in cuiusvis ordinis scholas, in Actionis Catholicae sodalitates et in paroeciales coetus.

Recta eiusmodi spectatorum institutio atque educatio ex una parte id efficiet, ut pericula minuantur, quibus mores pessumdari queant: ex altera vero ut christiani possint, per novas, quas adipiscentur cognitiones, animum ad supernas veritates meditandas erigere.

Peculiari autem modo exoptamus eos divini verbi praecones hac etiam de causa dilaudare, qui, cum sint conscii se officio teneri morum integritatem servandi incolumen eorum populorum, quos suis laboribus excolunt et ad viam veritatis traducunt, cinematographicis etiam, radiophonicis et televisificis artibus recto modo in hanc causam utuntur; atque adeo quas utilitates, quae inventa, reapse salutifera, nostra induxerit aetas, cum iisdem communicant. Cupimus igitur, ut eorum operae eorumque conatibus ii praesertim obsecundent, qui vel in Ecclesia vel in civili societate auctoritate pollent.

Animadvertendum tamen est hac in moderanda causa rectam, de qua locuti sumus, spectatorum institutionem educationemque non omnino sufficere. Necesse enim est, ut singula spectacula ad peculiarem cuiusvis aetatis ratiocinandi gradum, sentiendi vim, animi fascinationem, morumque condicionem apta atque accommodata sint.

Id quidem idcirco summam suscipit gravitatem, quod, cum radiophonicae auditiones ac televisifica praesertim spectacula intra ipsos domesticos parietes facillime habeantur, repagula subvertere minantur, quibus sana prolis educatio in tuto poni necesse est, usque dum adulescens aetas necessariam virtutem adipiscatur, qua victrix possit saeculi tempestates superare. Quam ad rem, tribus abhinc annis, haec Italiae Episcopis scribebamus: « Cum non horreamus, si intento recogitemus animo, per televisificas spectationes etiam in domestico convictu omnes posse venenatum illum aërem imbibere, qui " materialismi " placita sapit, qui fatuitatem et omne genus voluptates cupidinesque eodem modo spirat, quo in cinematographonicis auditoriis saepe saepius contingit? » [32].

Haud ea ignoramus incepta, quae non modo ii, qui publica fruuntur auctoritate, sed privati etiam coetus provexerunt, quorum est iuventutis educationi dare operam; incepta dicimus, ac proposita, quibus eo contenditur, ut adulescentes a spectaculis pro facultate abstrahan-

---

[32] Cfr. Adhoratio de televisione, d. 1 Ianuarii, a. 1954: *A. A. S.*, vol. XLIV, a. 1954, pag. 21.

tur, quae eorum aetati consentanea non sint, et quae saepius non sine gravi discrimine frequentantur. Quidquid laudabili hac de causa agitur, Nos valde probamus; animadvertatur tamen oportet magis quam physiologicas et psychologicas perturbationes, quae inde evenire queant, pericula praecavenda esse, quae ad iuvenum mores attineant; pericula, quae nisi opportuno tempore praevertantur ac prohibeantur, ad ipsius humanae societatis detrimentum et ruinam multum conferre possunt.

Iuvenes Nobis carissimos hac de causa paterno adhortamur animo, fore confisi, ut, cum de spectaculis agitur, in quibus eorum innocentia periclitari possit, eorum temporantia prudentiaque christiana eniteant. Grave eis officium est innatum illud effrenumque quidquid videndi audiendique studium compescere ac moderari; ac liberum animum ab immodicis terrenisque voluptatibus servare, et ad superna dirigere.

Ecclesia, cum probe noscat ex novis hisce artibus, quae directo oculos auresque attingunt, plurima bona plurimaque mala ac pericula, prouti iisdem utantur homines, oriri posse, suo munere hac etiam in re perfungi cupit; quod per se non ad variam animi culturam pertinet, sed ad religionem potissimum et ad mores regendos moderandosque [33].

Quo aptius et facilius huic obeundo muneri prospiceretur, Decessor Noster imm. mem. Pius XI asseveravit atque edixit « prorsus necessarium esse Episcopos stabile pro tota Natione inspectionis Officium constituere, cuius [esset] honestas imaginum series promovere, ceteras autem indicatio more generatim distribuere, ac denique editum ab se iudicium sacerdotibus et christifidelibus significare » [34]; ac praeterea catholicorum omnia incepta de re cinematographica ad probum finem dirigi necesse esse.

In nonnullis autem Nationibus Episcopi, has normas prae oculis habentes, huius generis Officia constituerunt non modo ad rem cinematographicam quod attinet, sed ad radiophonicam etiam ac televisificam.

Iamvero Nos mature considerantes spirituales utilitates, quae ex hisce technicis artibus oriri possunt, itemque necessitatem christianorum morum integritatem tutandi, quam id genus spectationes facile in discrimen adducere possunt, cupimus, ut in singulis Nationibus, si eiusmodi Officia nondum habeantur, nulla interposita mora constituantur quam primum; eademque viris, harum artium usu peritis, concredantur, quos aliquis sacerdos moderetur ab Episcopis delectus.

Vos hortamur praeterea, Venerabiles Fratres, ut in singulis Nationibus haec virorum Officia, sive ad rem cinematographicam, sive ad radiophonicam, sive denique ad televisificam pertinent, vel ab uno eo-

---

[33] Cfr. Sermo ad moderatores, [docentes, et cultores Consociationis ex omnibus Nationibus Institutorum Archaelogicae, Historiae, et Artis Historiae, d. 9 Martii, a. 1956, habitus: *A. A. S.*, vol. XLVIII, 1956, pag. 212.

[34] Ep. Enc. *Vigilanti cura*, d. 29 Iunii, a. 1936: *A. A. S.*, vol. XLVIII. 1936, pag. 261.

demque Consilio pendeant, vel saltem adiutricem invicem operam praestent; itemque hortamur, ut christifideles, ii praesertim, qui in Actionis Catholicae agminibus militant, debito modo edoceantur, ita ut necessitatem percipiant communem efficacemque operam hisce Officiis praestandi libenter.

Et quandoquidem quaestiones hac de re non paucae haud facile queunt in singulis Nationibus enodari ac solvi, perutile profecto erit, si haec singula Officia ad magnas illas ex omnibus Nationibus Consociationes pertinebunt, quas Apostolica haec Sedes, re mature considerata, iam probavit.

Haud dubitamus autem vos, Venerabiles Fratres, ex iis, quae ad obtemperandum hisce normis, non sine labore et incommodo, feceritis, uberes prodituros esse salutaresque fructus; quod tamen facilius aptius que eveniet, si peculiaria praescripta, quae de re cinematographica separatim ac de re radiophonica et televisifica per Encyclicas has Litteras edituri sumus, ad effectum diligenter deducantur.

II

Cinematographeum, quod sexaginta circiter abhinc annis in usum invectum est, hodie maximis est instrumentis annumerandum, quibus cogitata et inventa nostrorum temporum propagari queunt.

De variis eius processibus deque eius fascinatoria vi, occasione data, iam verba fecimus [35]. Ex hoc eius incremento, ad pellicularum series praesertim quod spectat, quae peculiarem narrationem imaginibus et vocibus expressam vivido quodam modo repraesentant, magna succrevit et negotiosa ars, cui sociam operam praestant non modo artifices, opifices et technici, sed coetus etiam de re oeconomica; quandoquidem singuli cives haud facile possunt tam gravem atque implexam operam exsequi. Quamobrem, ut cinematographeum nobile exsistat instrumentum, quo homines salutariter educentur, ad excelsa erigantur, ac meliores revera fiant [36], omnino necesse est, ut ii singuli universi, de quibus supra diximus, recta animati conscientia voluntateque adiutricem sibi invicem nativitatem praestent. qua probandae taeniolarum cinematographei series effingantur ac propagentur.

Iis omnibus, qui ad cinematographica spectacula vigilem mentem animumque convertunt, iam huius causae gravitatem non semel patefecimus, eos adhortantes ad earum praesertim imaginum series procu-

---

[35] Cfr. Sermo ad cinematographicae artis cultores ex Italia Romae congregatos. d. 21 Iunii, a. 1955: *A. A. S.*, vol. XLVII, 1955, pag. 501-502.

[36] Cfr. Sermo ad cinematographicae artis cultores, d. 28 Octobris, a. 1955, Romae congregatos: *A. A S.*, vol. XLVII, 1955, pag. 817.

randas, quae ad tam nobilem pulchritudinis speciem pertineant, ut quodam modo sanae educationis munus obire queant [37].

Diligenti vobis curae sit, Venerabiles Fratres, ut per peculiaria Nationis vestrae Officia, quae auctoritate vestra moderanda sunt, et de quibus supra scripsimus, variis civium ordinibus, quorum res interest, nuntii, res spectandae, consilia et normae impertiantur, quibus, pro variis temporum locorumque adiunctis, nobilissima haec causa, quae tantopere animorum bono consulere potest, pro facultate provehatur.

Ob hanc rem « peculiaria ordine conficiantur typisque edantur rationaria seu elenchi, in quibus quam saepissime cinematographicae pelliculae distribute... ita proponantur ut omnium in notitiam venire possint » [38]; idque fiat a proborum virorum Consilio, quod a memorato Nationis cuiusque vestrae Officio pendeat; qui profecto viri doctrina ac rerum prudentia eniteant, cum de singulis cinematographicis taeniolis iudicium ferre debeant, ad christianorum morum normas quod attinet.

Huius Consilii sodales, cum rem tanti momenti tractare ac decernere debeant, quae cum christiana vivendi ratione tam arte coniungitur; cumque probe noscant oporteat peculiarem eam vim, quae ex cinematographicis spectaculis exseritur, variam quidem pro variis spectatorum condicionibus, etiam atque etiam adhortamur, ut opportuno harum disciplinarum studio ac precationi sanctae diu multumque vacent.

Quotiescumque ii debent cinematographicae rei seriem, ad rectos mores quod spectat, iudicare, normas intento animo secum recogitent, iam pluries a Nobis, occasione data, impertitas; cum praesertim verba fecimus de cinematographeo ad excelsam pulchritudinis educationisque speciem evecto, de argumentis, quae ad religionem attinent, itemque de malorum facinorum repraesentatione, quae numquam neglegat, numquam offendat oportet hominis dignitatem, domestici convictus verecundiam, vitae sanctitatem, Iesu Christi Ecclesiam, ac civilem humanamque consortiorem.

Meminerint praeterea munus ipsis concreditum singulas cinematographicas imaginum series quoad mores iudicandi ad id potissimum spectare, ut hominum mentes publice, ut oportet, illuminentur; ita ut omnes inducantur ad normas et principia illa de re morali magni habenda, sine quibus recta animorum cultura verique nominis civilis cultus ne intelligi quidem potest. Quamobrem improbanda sine dubio eorum agendi ratio est, qui, nimis indulgentes, eas pellicularum series admittunt, quae quamvis technica arte praestent, rectos tamen offendunt mores; vel, quamvis legibus moralibus specie saltem obtemperare videantur, aliquid tamen habent, quod catholicae Fidei adversatur.

---

[37] Cfr. Sermones d. 21 Iunii et 28 Octobris, a. 1955 habiti : *ibid.*, pag. 502-503 et 816 sq.

[38] Ep. Enc. *Vigilati cura*, d. 29 Iunii, a. 1936 : *A. A. S.*, vol. XXVIII, 1936, pag. 260-261.

Si autem clare aperteque significaverint, quas omnes, quas iuvenes, quas adulti imaginum series visere possint; quae vero in morum discrimen spectantes inducere queant; et quae denique omnino pravae ac detrimentosae sint, tum singuli facile poterunt iis tantum spectaculis interesse, ex quibus eorum animi « laetiores, liberiores melioresque exibunt » [39]; eaque vitare, quae eis damno esse possint, eo profecto graviori, quod pravarum rerum negotiatoribus emolumento, ceteris autem malo exemplo erunt.

Opportunas animadversiones iterantes, quas Decessor Noster fel. rec. Pius XI per Encyclicam Epistulam [40] edidit, cui a verbis *Vigilanti cura* initium est, optamus vehementer, ut christifideles, quotiescumque fieri potest, non modo hac de causa diligenter moneantur, sed gravi etiam obtemperent officio sese certiores faciendi de sententiis in re cinematographica ab Ecclesiastica Auctoritate latis, eisdemque fideliter obsequendi. In hanc rem Episcopi, si opportunum duxerint, peculiarem per annum diem festum praestituere poterunt, quo christifideles de peculiaribus ipsorum officiis, ad spectacula, praesertim cinematographica, quod attinet, sedulo edoceantur, et ad adhibendas Deo supplices preces hac de causa moneantur.

Ut autem omnes facile queant has sententias noscere, iisdemque obtemperare, necesse est, ut hae normae breviter explicatae opportuno edantur tempore, et quam latissime propagentur.

Quam ad rem multum possunt catholici ludorum cinematographicorum critici, qui rationem moralem eorundem in sua debent luce collocare, talia iudicia propugnantes, quibus praecaveatur, ne ad « relativismum moralem », quem dicunt, descendatur aut legitimus turbetur ordo, quo minora subduntur maioribus.

Perverse igitur agunt diariorum et commentariorum, quae catholica appellantur, scriptores, si, de spectaculis huiusmodi tractantes, lectores non edocent, quid de iis quoad mores sit sentiendum.

Officii autem conscientia non solum spectatores tenentur, qui, quotiescumque aditus tesseram emunt, quasi suffragia ferentes, toties cinematographeum honestum aut inhonestum eligunt, sed etiam, idque magis, qui auditoria cinematographica exercent atque pelliculas distribuunt.

Haud ignoramus quantis difficultatibus eorum, qui cinematographea exercent, opera hac aetate obstruatur plures ob causas atque etiam eo quod res televisifica tot aucta est incrementis. Tamen difficilibus hisce in rerum adiunctis meminerint illi oportet conscientia se vetari ludos edere cinematographicos, qui Fidei bonisque moribus adversentur, vel

---

[39] Cfr. Sermo ad cultores cinematographicae artis ex Italia Romae congregatos, d. 21 Iunii, a. 1955: *A. A. S.*, vol. XLVII, 1955, pag. 512.

[40] Ep. Enc. *Vigilanti cura*, d. 20 Decembris, a. 1935: *A. A. S.*, vol. XXVIII, 1936, pag. 260.

contractus inire, quibus spectacula huiusmodi cogantur praebere. Quoniam vero multis in regionibus iidem sese obligaverunt, ne ullo pacto cinematographicas imaginum series proponerent, quae perniciosae essent vel malae, fore confidimus, ut tam egregium inceptum in omnes orbis terrarum partes pervadat neu ullus vir catholicus cinematographeum exercens dubitet tam frugifera tamque salutaria sequi consilia.

Id etiam vehementer moneamus oportet, ne locus detur nuntiis laudativis mercatoriis, quae insidias parent vel turpia sint, licet praeconia huiusmodi, ut interdum evenit, ad honestas taeniolas cinematographicas pertineant. « Quis dicere possit, quanta detrimenta imagines huiusmodi animis, praesertim iuvenilibus, afferant, quot cogitationes impuras ac pravas excitent voluptates, quantum conferant ad corrumpendos populi mores, non sine discrimine prosperi status ipsius rei publicae? » [41].

In auditoriis ergo cinematographicis, Ecclesiae auctoritati obnoxiis, quandoquidem fidelibus ac maxime iuventuti spectacula praebenda sunt rectae institutioni apta atque locorum condicionibus honesta, liquet non nisi eos ludos edi licere, qui, ad mores quod attinet, nullo modo possint improbari.

Sacrorum Antistites, huiusmodi auditoriis, etiam religiosorum exemptorum, ad quae vulgo patet aditus, sedulo invigilantes, viros ecclesiasticos, in quos rei onus recidit, admoneant, ut fideliter accurateque normas de his propositas servent neve suae utilitatis nimis sint studiosi, si velint ministerii huius partes implere, quod Apostolicae Sedi maximae curae est. Magnopere etiam suademus, ut, qui auditoriis hisce catholicis sunt praefecti, in collegia coeant — quemadmodum nonnullis in regionibus non sine assensu et probatione Nostra factum est — quo efficacius, praecepta et invitamenta Officiorum singulis in Nationibus constitutorum ad usum deducentes, communia commoda rationesque tueantur.

Adhortationes vero, quas auditoria cinematographica exercentibus adhibuimus, ad distributores quoque volumus pertinere, qui, cum in pelliculas ipsas conficiendas suis sumptibus interdum operam conferant, maiorem sane habent copiam, atque adeo graviore obstriguntur officio, honesta cinematographica spectacula promovendi. Distributio enim nullo modo technica quaedam muneris functio, uti dicunt, existimari debet, cum taeniolae cinematographicae — ut saepius iam monuimus — non solum merces aestimandae sint, sed etiam, idque potius, ingenii alimentum habendae et quasi palaestra animorum morumque vulgi. Itaque distributores locatoresque eodem modo merita et onera participant, prout a cinematographicis ludis bonum aliquid proficiscitur aut malum.

Cum igitur agatur de re cinematographica melioribus conformanda

---

[41] Cfr. Pii XII sermo ad Urbis Parachos sacrosque per Quadragesimae tempus Oratores die 5 Martii 1957 habitus: *A. A. S.*, vol. XXXXIX, 1957, pag. 208.

rationibus, non modicum est conscientiae officium, quo actores scaenici obligantur; qui quidem, memores dignitatis suae ut homines et artis periti, noverint sibi non licere operam suam ad spectaculorum partes commodare vel eam sociare ad imaginum series exprimendas, quae bonis moribus adversantur. Actor vero quivis, ingenio et artificio nominis famam adeptus, ea, qua floret, laude ita uti debet, ut vulgi animos ad ea erigat, quae egregia sint et praeclara; memineritque suum esse imprimis in vita privata ceteris virtute in exemplum praelucere. Haec enim, artis peritos olim allocuti, asseveravimus: « Neminem fugit coram spectatorum multitudine, in vos intenta, anhelante, plaudente, fremente, animos vestros vehementius concitari atque gaudio et excelsitate quadam perfundi » [42].

Quodsi haec iure meritoque aliquem sentire dici queat, tamen non efficitur, ut scaenicis christianis eas liceat a consessu accipere animi declarationes, quae cuisdam quasi idololatriae similes sint, cum hic quoque obtineat, quod ait Servator: « Sic luceat lux vestra coram hominibus: ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est » [43].

Maximum vero officii onus — quamquam ratione diversa — in pellicularum auctores atque scaenici apparatus artifices recidit. Tanti oneris conscientia egregiis eorum inceptis non obest, sed potius animos debet confirmare eorum, qui, bona praediti voluntate, pecuniis pollent aut ingenii dotibus ad huiusmodi imaginum series efficiendas aptis.

Saepe etiam accidit, ut taeniolarum cinematographicarum auctores et scaenici apparatus artifices propter artis rationes et necessitates ac simul religionis morumque praecepta difficultate non levi afficiantur; tunc, antequam imaginum series exprimitur vel dum efficitur, legitimum expetendum est iudicium sapiensque ineundum consilium, ut bono spirituali spectatorum atque ipsius operis perfectioni provideatur. Hi ergo consulere non dubitent Officium Catholicum rei cinematographicae praepositum, ad quod pertinet quodque libenter iis aderit, etiam negotii huius curam, si oportuerit, viro ecclesiastico huius rei perito, cautione adhibita, delegando.

Neque fiet, ut propter fiduciam, quam in Ecclesia collocarunt, auctoritas et gratia eorum imminuantur; « Fides enim, omne in aevum, praesidium erit humanae personae » [44], atque in ipsis operibus artificiosis exigendis humana persona luce doctrinae christianae rectaque morum ratione locupletatur et perficitur.

---

[42] Cfr. Sermo de arte scaenica die 26 Augusti 1945 habitus: *Discorsi e Radiomessaggi di S. S. Pio XII*, vol. VII, pag. 157.

[43] Matth. V, 16.

[44] Cfr. Epist. Pii XII ad christifideles Germaniae, ob conventum « Katholikentag » appellatum, Berolinum congregatos die 10 Augusti, a. 1952: *A. A. S.*, vol. XLIV, 1952, pag. 725.

Tamen viris ecclesiasticis fas non est operam adiutricem auctoribus imaginum cinematographicarum praebere sine peculiari Moderatorum suorum mandato, cum, ut perspicuum est, ad bene suadendum hac in re necessaria sit artis praestantia eximia et non vulgaris institutio, quarum iudicium singulorum arbitrio permitti non potest.

Catholicos ergo taeniolarum cinematographicarum auctores et scaenici apparatus artifices paterno monemus animo, ne imaginum series fieri sinant, quae Fidei moribusque christianis repugnent; si autem, quod Deus avertat, hoc evenerit, Episcoporum est eos admonere et, si opus fuerit, opportunis plectere sanctionibus.

Persuasum autem est Nobis, ut res cinematographica ad optimam atque perfectam formam educatur, nihil esse efficacius quam conformationem ad christianae legis praecepta eorum, qui in efficiendis hisce pelliculis operam collocant.

Quarum effectores, si ad fontes, unde superna munera permanant, accedant, si doctrinam perdiscant Evangelicam, si cognoverint, quae Ecclesia de veritate vitae, de beatitudine et virtute, de dolore et peccato, de corpore et anima, de re sociali et studiis hominum tradit praecepta, novas deprehendent praeclarasque rationes, quas ineant, et ad opera egregia et perennia condenda novo quodam instinctu excitari se sentient.

Oportet ergo promoveantur augeanturque ea incepta et exercitationes, quibus illorum animi vita alatur et incrementis confirmetur; plurimum vero hac in re christianae institutioni iuvenum tribuendum est, qui ad artem cinematographicam profitendam se componunt.

Peculiaribus hisce de re cinematographica praeceptionibus finem imponentes, publicae rei Moderatores cohortamur, ne ullo pacto opem praebeant ad efficiendas aut in vulgus edendas pelliculas cinematographicas deteriores, sed ut opportunis propositis normis ad ludos cinematographicos honestos et probabiles apparandos, praesertim qui iuventuti destinantur, auxiliatores exsistant. Quoniam tot tantique pro populi educatione sustinentur sumptus, eo etiam mentem intendant, ut tanti momenti negotium, quod in ipsa quoque institutione versatur, recta expediatur ratione.

Cum vero quibusdam in regionibus atque etiam in exhibitionibus, ad omnes pertinentibus Nationes, praemiis, ad hoc ipsum propositis, eae non immerito afficiantur pelliculae, quae eo commendantur, quod ad institutionem valent animique vitam, fore confidimus, ut boni cordatique homines omnes, monitis Nostris obsecuti, allaborent, ne taeniolis cinematographicis, laude dignis, communis plausus et probatio, quasi praemium, desint.

III

Nec minus diligenter exponere volumus Vobis, Venerabiles Fratres, qua urgeamur sollicitudine circa aliud instrumentum ad nuntios dimittendos aptum et eadem, qua cinematographeum, invectum aetate, radiophonium dicimus.

Quamquam tot tantisque subsidiis scaenicis et percommodis locorum rerumque adiunctis, quibus cinematographeum fruitur, non est praeditum, radiophonium tamen alias habet utilitates, quarum non omnes adhuc quaesitae sunt.

« Illius enim — quemadmodum societatis cuiusdam radiophonicae sodalibus et administris diximus — haec est condicio, ut a locorum temporisque adiunctis quasi dissociatum sit et immune, quae cetera omnia praepediunt et retardant instrumenta, quibus homines inter se communicant. Volucri enim quasi cursu multo ociore quam undae sonorae motu, citissimum ut lucis fluxus, fines omnes momento temporis transgrediens, nuntios perfet, qui ei crediti sunt » [45].

Novis inventis ad perfectionem paene absolutionemque perductum, radiophonium artibus technicis eximias affert utilitates, cum etiam machinae eiusmodi radiante vi ad praestituta loca sine gubernatore dirigantur. Nos autem non immerito arbitramur praeclarissimum munus, quo radiophonium spectare debeat, hoc esse: mentes hominum illuminare et erudire, eorumque ingenia et animos ad superna et incorporalia magis magisque erigere.

Intima autem animi humani studia eo pertinent, ut quis, licet domesticis contineatur parietibus, alios audiat homines, eventus cognoscat, qui procul fiunt, et socialis vitae rationem et ingenii cultum participet.

Nihil mirum igitur, si permultae domus celerrime fuerint undisonis scriniis instructae, quibus efficitur, ut inde quasi quaedam arcana fenestella pateat in orbem terrarum, qua diu noctuque actuosa vita hominum diversi cultus ingenii, diversi sermonis et generis attingatur; hoc fit per innumerabiles radiophonicas transmissiones certa ratione propositas, quibus comprehenduntur novi eventus, colloquia, sermones, res ad cognoscendum uties et iucundae, artificia, cantus, modi musici.

Ut enim non ita pridem sumus elocuti, « quanto beneficio fruuntur, quantoque officii onere devinciuntur homines, qui nunc sunt, et quam mutata sunt tempora antiqua, quibus disciplina veritatis, praeceptum fraterni amoris, sempiternae beatitatis promissa ad homines lente perveniebant per Apostolos, asperas semitas, ut aetate illa vetusta, terentes, cum nostris diebus nuntius divinus eodem momento ad decies ac pluries centena milia hominum perferri possit » [46].

---

[45] Cfr. Sermo d. 3 Decembris, a. 1944 habitus: *Discorsi e Radiomessaggi di S. S. Pio XII*, vol. VI, pag. 209.

[46] Cfr. Nuntius radiophonicus ad eos, qui interfuerunt tertio generali conventui

Expedit ergo christifideles hoc beneficio, aetate nostra inducto, uti, atque muneribus, ad doctrinam, ad animi relaxationem, ad artem ipsumque verbum divinum spectantibus, quae ipsis per radiophonicas undas obveniunt, quasi locupletari, cum ita scientiam queant incrementis augere ac veluti animi fines propagare.

Neminem ergo latet, quantum ad recte instituendos homines possint honestae vocum sonorumque radiophonicae transmissiones; tamen ex usu instrumenti huiusce onus oritur conscientiae, quemadmodum in artibus technicis ceteris, cum ad patrandum bonum aut malum possit adhiberi. Ad radiophonicam igitur artem transferri queunt haec, quae in divinis litteris scripta sunt, verba: « In ipsa benedicimus Deum et Patrem: et in ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt. Ex ipso ore procedit benedictio et maledictio » [47].

Quivis undisonam auscultans capsellam praecipuo tenetur officio radiophonicas transmissiones certa ratione propositas diligenter accurateque seligendi; hae enim non sinantur tumultuarie in domos pervadere sed, quemadmodum amicus conscie prudenterque vocatur, ita iis eodem concedatur aditus. Nequiter autem agat, qui amicorum, ad larem suum inducendorum, non habeat delectum. Itaque radiophonicae, quae eo admittantur, vocum sonorumque transmissiones huiusmodi sint oportet, ut veritatem et bonum suadeant, ut familiae sodales non avertant a conscientiae officiis implendis, sive haec ad singulos spectent sive ad hominum societatem, sed ut eos confirment ad eadem rite exsequenda ac, si de adulescentibus agatur puerisque, nullum afferant detrimentum, quin etiam salubrem parentum et magistrorum disciplinam adiuvent et producant.

Officia Catholica rei radiophonicae singulis in Nationibus praeposita studeant, catholicis diariis et commentariis ut subsidiis usa, christifideles de huiusmodi transmissionum natura et ratione antea certiores facere. Haec vero monita ante danda non omnibus in locis fieri poterunt ac saepe non nisi quoddam erunt indicium, quod nonnullae huiusmodi radiophonicae acroases ante haud facile cognosci possunt.

Pastores gregum christifideles moneant divina lege vetari radiophonicas vocum sonorumque audiri transmissione, quae Fidei aut moribus sint perniciosae, eosque, quibus iuventutis cura commissa est, cohortentur, ut invigilent eisque religionem iniciant quoad usum instrumenti radiophonici domi collocati.

Episcoporum praeterea est christifideles appellare, ut ab iis caveant stationibus radiophonicis, quas constet doctrinae capita christianae Fidei contraria propugnare.

---

de communicationibus inter cives et nationes, sexagesimo volvente anno a radiotelegraphia inventa, Genuae habito: *A. A. S.*, vol, XLVII, 1955, pag. 736.

[47] Iac, III,' 9-10.

Alterum officium, quo radiophonii auditores obligantur, eo pertinet ut iis, qui pro munere huiusmodi transmissionibus praesunt, optata sua iustasque reprehensiones significent. Quae obligatio ex ipsa natura rei radiophonicae manifesto profiscitur, quae huiusmodi est, ut facile ratio quaedam singularis, non mutua, exsistat, scilicet et, qua non nisi transmittens attingat audientem.

Cum, qui nostra aetate invaluerunt, modi vulgi opinionem explorandi, adeo ut cognoscatur, quantum studii apud audientes singulae radiophonicae transmissiones accendant, sine dubio utiles sint iis, qui acroases moderantur radiophonicas, tamen contingere potest, ut populi plausus plus minus vehemens levibus ac fluxis causis sit tribuendus vel impulsionibus rectae rationi minus consentaneis, ita ut iudicium huiusmodi haberi nequeat pro certa agendi norma.

Quae cum ita sint, auditores radiophonii pro viribus operam dare debent, ut in vulgo opinio obtineat prudens, qua, debitis servatis modis, hae transmissiones, prout res postulat, probentur, confirmentur, reprehendantur, quaque fiat, ut radiophonica ars, quae pro munere in hominum institutione versatur, « serviat veritati, bonis moribus, iustitiae, amori » [48].

Haec ad effectum deducere omnium est sodalitatum catholicarum, quae christifidelium commodis hac in re strenue consulere studeant. Iis autem in regionibus, ubi rerum locorumque adiuncta id suadeant, ad hoc ipsum instituti poterunt societates auditorum spectatorumque, Officiis rei cinematographicae, radiophonicae et televisificae singulis in Nationibus praepositis, obnoxiae.

Noverint denique radiophonii auditores obligatione se teneri acroases promovendi honestas, ac maxime eas, quibus animi ad Deum erigantur. Nonne christifideles, praesertim ii, qui radiophonii commoda cotidiano usu experiuntur, alacres se praebeant ad huiusmodi transmissiones provehendas, maxime hac aetate, qua per aërias undas doctrinae falsae et perversae disseminantur, qua instrumentis perturbantibus in aethere quasi quoddam « vallum ferreum », ad sonos quod attinet, effectum est, eo quidem consilio, ne veritati, quae « materialismi athei » evertat imperium, pateat aditus, hac dicimus aetate, qua pluries centena milia hominum Evangelii nuntium quasi illucescentem auroram adhuc praestolantur et aegroti aliove modo praepediti anxie exoptant, ut communitatis christianae preces et Eucharistici Sacrificii ritum aliqua ratione participent?

Haud equidem ignoramus quantum variis in regionibus impensum sit laboris et impendatur, ut acroases catholicae in radiophonicis sta-

---

[48] Cfr. Sermo Pii XII d. 3 Octobris, a. 1947 quinquagesimo expleto anno ab arte radiophonica inventa habitus: *Discorsi e Radiomessaggi di S. S. Pio XII*, vol. XI, pag. 267.

tionibus augeantur. Multi sane exstiterunt homines ecclesiastici et laici hac in re antesignani, qui acri studio effecerunt, ut sacris transmissionibus radiophonicis is daretur locus, qui religioni convenit, quae potior est quam res humanae universae.

Interea autem, dum intento animo consideramus, quantopere radiophonica ars sacri ministerii causae prodesse queat, dumque illo urgemur Divini Redemptoris mandato: « Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae » [49], facere non possumus quin vos, Venerabiles Fratres, paterne adhortemur, ut id genus de re catholica auditiones, pro varia uniuscuiusque loci necessitate atque facultate, magis magisque promovere ac perficere studeatis.

Cum vero summa, qua par est, dignitate liturgicos ritus, catholicas veritates, res atque eventus Ecclesiae marconianae artis ope proponere, praeter debitam vigilantiam, multum profecto ingenii, multum peritiae quoque expostulet, necessarium omnino est, ut sive sacerdotes sive laici, qui ad hanc tanti momenti navitatem destinentur, recta consentaneaque ratione instituantur.

Quam ad rem sane expedit, ut apud Nationes, in quibus catholici recentioribus huius artis instrumentis utuntur eorumque diuturno usu ceteris praestant, opportuna per certum tempus de hac re habeantur studia exercitationesque, quorum ope ex aliis etiam Nationibus candidati illam valeant adipisci peritiam, quae requiritur, ut radiophonicae de re religiosa transmissiones ad optima ingenuae artis praescripta technicorumque rationes redigantur.

Ipsi Nationis Officiis curae erit intra suae cuiusque dicionis fines varia religiosarum auditionum genera promovere eaque apte inter se ordinare atque componere; eadem praeterea, quantum fieri poterit, ceterarum radiophonicarum stationum moderatoribus adiutricem praestabunt operam, sedula adhibita vigilantia, ne in eiusmodi auditiones quid irrepat honestati morum minus consentaneum.

Quod attinet autem ad ecclesiasticos viros, etiam ex religiosorum sodalitatibus exemptis, qui suam navant operam apud radiophonicas vel televisificas stationes, Episcoporum erit opportunas impertire normas, quas exsequendi cura variis Nationis Officiis demandabitur.

Peculiari modo perplacet catholicorum radiophonicarum stationum Moderatoribus et administris hortamenta Nostra adhibere. Difficultates sane innumerae hac in re subeundae Nobis plane innotescunt; fore tamen confidimus, ut iidem hoc apostolatus opus, quod Nos tantopere pendimus, strenuo animo ac viribus inter se collatis prosequi pergant.

Ad Nos quod attinet, amplificandam perficiendamque curavimus Radiophonicam Vaticanam Stationem, optime de re catholica meritam, cuius incepta, saluberrima sane — quemadmodum Hollandiae christifi-

---

[49] Marc. XVI, 15.

delibus amplissima largitate praestantibus asseveravimus — « flagrantissimis votis summisque totius catholici orbis necessitatibus » apprime respondent [50].

Praeterea grata prosequi voluntate percupimus universos probos radiophonicarum transmissionum auctores ac moderatores ob rectam Ecclesiae necessitatum aestimationem, quam ex iisdem plures testati sunt, sive Dei propagando verbo libenter opportuna tempora assignantes, sive necessaria artis adiumenta suppeditantes. Ii quidem hoc agendi modo mercedem profecto participant apostolico operi propriam, etsi per aethereas undas exercetur, prouti Christus Dominus pollicitus est: « Qui recipit prophetam in nomine prophetae, mercedem prophetae accipiet » [51].

Hisce temporibus radiophonicae acroases, artificio praecellentes, postulant, ut ad genuina artis principia conformentur; earum igitur auctores omnesque, qui iisdem parandis vel efficiendis dant operam, uberis doctrinae praesidio instructi sint oportet. Quamobrem eos etiam, ut iam cinematographicae artis cultores, enixe compellamus, ut materiae copiam, quae ex amplissimo christianae humanitatis penu suffícitur, in rem suam convertant. Denique sacrorum Antistites in publicae rei moderatorum memoriam revocent, ad eorum officium pertinere sedula, qua par est, diligentia in tuto ponere propagandas de re catholica auditiones, peculiari dierum festorum habita ratione ac spiritualium necessitatum, quibus christifideles cotidie premuntur.

IV

Reliquum est, Venerabiles Fratres, ut breviter de televisione quoque vobiscum agamus, quae quidem per Pontificatus Nostri decursum in quibusdam Nationibus mira suscepit incrementa, in aliis autem pedetemptim iam in usum inducitur.

Invalescentem huius artis consuetudinem, quae procul dubio in humani generis fastis magni ponderis est eventus, studioso animo, alacri spe gravibusque affecti sollicitudinibus prosecuti sumus, atque dum ex una parte inde ab initio saluberrimam eius vim novasque obortas utilitates extulimus, ex altera vero pericula ac male utentium intemperantiam prospeximus atque indicavimus.

Televisioni plura sunt cum cinematographica arte communia, quandoquidem eius spectationes ipsam vitae actionem agitationemque oculis exhibent; haud raro enim cinematographici ludi eidem materiam praebent. Praeterea ipsam quoque indolem atque vim radiophonicae artis

---

[50] Cfr. Sermo ad Hollandiae catholicos, d. 19 Maii, a. 1950 habitus: *Discorsi e Radiomessaggi di S. S. Pio XII*, vol, XII, pag. 75.

[51] Matth. X, 41.

propriam quodammodo participat, quippe quae potius quam in theatris, intra domesticos parietes ad homines convertatur.

Supervacaneum ducimus hoc loco Nostra iterare monita, quae de cinematographicis ludis deque radiophonicis transmissionibus iam habuimus; de officiis scilicet, quibus hac in re spectatores, auditores, auctores necnon publicae rei Moderatores tenentur. Neque est, cur iterum commemoremus curam atque diligentiam necessario adhibendam, ut varia religiosarum spectationum genera rite parentur atque promoveantur.

Compertum habemus, quam sedulo studio creberrima spectatorum multitudo res catholicas per televisionem relatas conspiciat. Liquet omnino Eucharisticum Sacrificium televisionis ope participare — uti paucos ante annos, ad radiophonium quod attenet, declaravimus [52] — non idem esse ac Divino Sacrificio coram adesse, ut diebus festis praecipitur. Uberrimi tamen fructus ex liturgicis prodeuntes ritibus per televisionem ob oculos propositis, quos quidem ad roborandam Fidem sanctitudinemque fovendam ii omnes percipere possunt, quibus alio modo participandi copia deest, Nobis plane suadent, ut spectationes huiusmodi etiam atque etiam commendemus.

In singulis Nationibus Episcoporum erit de televisificarum rei religiosae transmissionum opportunitate iudicare, easdemque constituto Offiico efficiendas concredere, quod quidem, ut in rebus similibus, vigilem navabit operam ad notitias propagandas, ad auditorum animos educandos et ad omnia ordinanda et componenda, modo quidem christianis moribus consentaneo.

Televisio autem praeter id, quod cum duobus ad res evulgandas artis inventis, de quibus iam diximus, commune habet, sua quoque pollet vi suaque efficacitate. Televisificae enim artis ope efficitur, ut longinquos eventus auribus oculisque subiectos eodem puncto temporis, quo contingant, spectatores conspiciant, atque ita alliciantur, ut quasi praesentes eosdem participent; ipsa autem intima domesticae vitae consuetudine eiusmodi propinquitas valde adaugetur.

Peculiaris haec oblectandi vis, qua inter sacra familiae penetralia televisio pollet, permagni quidem facienda est, quippe quae plurimum conferat ad religiosam vitam, ad humanitatem atque ad mores eorum, ex quibus familia constat, filiorum praesertim, quos recentioris huiusce inventi fascinatio procul dubio afficiet ac tenebit. Quodsi illud: « Modicum fermentum totam massam corrumpit » [53] veritati omnino respondet, atque in adulescentibus vita corporis, quodam contagionis germine

---

[52] Cfr. Sermo ad radiophonicae artis cultores conventum ex omnibus Nationibus participantes, d. 5 Maii, a. 1950: *Discorsi e Radiomessaggi di S. S. Pio XII* vol. XII, pag. 55.

[53] *Gal.* V, 9.

infecta, impediri potest, quominus ad plenam virium maturitatem perveniat; multo magis pravum aliquod educationis elementum religiosae vitae nervos valet elidere, ac debitam morum conformationem remorari. Ceterum quis ignorat saepissime pueros extra domum morbi vim repentem vitare posse, latentem intra domum effugere non posse?

Domestici convictus sanctitatem quoquo modo in discrimen adducere est; Ecclesia igitur, prout eius ius et officium postulant, omnibus viribus semper contendit, ne pravis televisificis spectationibus sacra eiusmodi limina ullo pacto violentur.

Cum televisio inter cetera hoc quoque salutiferum sane commodum pariat, ut minores ac maiores natu domi facilius remaneant, ea profecto plurimum valet ad amoris fideique vinculum intra saepta domestica roborandum, dummodo nihil proferat, quod iisdem fidei et casti amoris virtutibus minus consentiat.

Haud tamen desunt, qui sanctissima haec postulata ad rem posse deduci, saltem in praesens, omnino negent. Dictitant, enim, fidem spectatoribus datam haudquaquam sinere, ut ulla ex parte vacuum abeat tempus televisificis transmissionibus assignatum; praetereo necessitatem plura spectationum genera in promptu semper habendi cogere, ut interdum spectacula exhibeantur initio ad publicum theatrum tantummodo destinata; televisionem denique non ad iuvenes tantum sed ad provectae etiam aetatis homines pertinere. Haud infitiamur hac in re difficultates profecto occurrere; earundem tamen solutio minime in posterum remittenda est, cum huius artis usus, non antea prudentis consilii frenis temperatus, gravissima detrimenta singulis civibus atque hominum communitati iam attulerit; quae quidem ex aequo aestimari usque adhuc difficulter possunt.

Ut autem harum difficultatum enodatio cum increbrescente rei televisificae usu in singulis Nationibus pari gressu procedat, primo loco apparandis variis spectationibus impensissima opera adnda est, quae quidem ethicis, psychologicis necnon technicis televisionis rationibus respondeat.

Quamobrem catholicos viros eruditione, doctrina, optimarum artium scientia praestantes — atque imprimis clerum atque Ordinum vel Congregationum religiosos sodales — paterno animo adhortamur, ut ad hanc novam artem mentem convertant sociamque conferant navitatem suam; ita quidem, ut quae praeteritae aetates ac veri nominis progressus ad excolendum animum bona protulerint, eadem in televisionis commodum utilitatemque redundent.

Praeterea necesse est, ut, qui in effingendis televisionis taeniolis moderatorum partes agunt, non modo sarta tecta servari religionis honestatisque principia curent, verum periculum etiam diligenter attendant, in quod forte adduci possint iuvenes, qui spectaculis intersint ad provectae aetatis homines pertinentibus. Quod attinet ad spectacu-

lorum cognatum genus, quae in cinematographeis et in publicis theatris exhibentur, apud plerasque excultas Nationes opportunis cautionibus provisum est, consulto atque in communis boni tutelam, ut iuvenes ab inhonestis ludicris arceantur. Nemo autem est qui non videat, televisionem quoque, immo multo magis, sedulae vigilantiae commodis atque praesidiis indigere. Si vero contingat, quod penes quasdam Nationes laudabiliter exclusum est, ut alicubi televisificae transmissiones spectacula admittant adulescentibus prohibita, tunc saltem certae cautiones sunt omnino necessariae.

Perperam tamen aliquis putaverit egregia proposita rectamque officii conscientiam eorum, qui id genus artem exercent, satis valere ad bona omnia eruenda, quae ex mira illa parvi televisifici albi arte profluant, aut ad quaevis pericula removenda.

Hac enim in re prudentia ac vigil eorum cura, qui televisificis scriniis utuntur, prorsus expostulantur. Rectus in televisione adhibenda modus, prudens ad spectandum filiorum admissio ex aetate decernenda, aequa de visis iam spectaculis aestimatio, ac denique ab eis, quae minus addeceant, filiorum exclusio: haec omnia totidem sunt officia, quibus parentes atque omnes, in quos educandi munus incumbit, graviter onerantur.

Haud equidem ignoramus, ea praesertim, quae postremo loco monuimus, graves interdum difficultates et gravia incommoda gignere posse; siquidem impertiendae educationis conscientia parentes haud raro iubebit proli exemplo praeesse, atque etiam cum suo ipsorum gravamine se a quibusdam allicientibus spectationibus abstinere. At quis nimio gravius putet onus, quod parentibus praecipitur, cum maximum liberorum bonum in discrimen vocatur?

Quae cum ita sint, « urget quam maxime necessitas — quemadmodum iam Italiae Episcopis scripto asseveravimus — ut catholicorum conscientia de televisionis usu ad sana christianae religionis principia conformetur » [54]; adeo quiem, ut non errori, non vitiorum illecebris eiusmodi ars inserviat, sed « ad homines erudiendos, instituendos, et ad meliorem statum revocandos » [55] subsidium potius evaadt.

Hisce Litteris finem facere non possumus, Venerabiles Fratres, quin in memoriam vestram redigamus, quanti momenti sint partes sacerdoti concreditae, ut in ceteris apostolatus campis, etiam in hoc Ecclesiae necessario opere, quod evulgandarum rerum inventa respicit, cum promovenda, tum in usum adhibenda.

---

[54] Cfr. Adhotatio Apostolica de televisione, d. 1 Ianuarii a., 1954: *A. A. S.*, vol. XLVI, 1954, pag. 23.

[55] Cfr. Sermo de gravi televisionis momento, d. 21 Octobris a. 1955: *A. A. S.*, vol. XLVII. 1955, pag. 777.

Is nempe quaestiones universas pernoscat oportet, quae in re cinematographica, radiophonica atque televisifica christifidelium animis proponuntur. « Sacerdos, cui animorum cura demandata est — ita Nos in oratione habita ad participantes Conventum per hebdomadam actum de ministerio sacro in Italia ad huius aetatis rationem instituendo — scire potest ac debet, quidquid nostrae aetatis studiis, liberalibus artibus atque technicae progressibus profertur, quod quidem ad supremum hominis finem eiusque religiosam vitam ac mores attineat » [56]. Hisce adiumentis recte uti addiscat, quotiescumque, pro prudenti ecclesiasticae auctoritatis iudicio, id postulant concrediti sibi ministerii indoles aut necessitas frequentiori animorum multitudini opitulandi. Denique, si a sacerdote eaedem artes in ipsius utilitatem adhibeantur, eius prudentia, temperantia, necnon recta officiorum conscientia in exemplum christifidelibus omnibus refulgeant.

Placuit has, quibus profecto et vos ipsi afficimini, Venerabiles Fratres, curas sollicitudinesque aperire Nostras, de gravibus, quae christianorum Fidei moribusque instare possunt periculis, si validissima eiusmodi ad audiendum et ad spectandum artis inventa ad pravos usus ab hominibus detorqueantur.

Haud tamen omisimus commoda quoque utilitatesque indicare, quae hodierna eiusmodi instrumenta valent afferre. Quam ad rem, praelucentibus christianae Fidei legisque naturalis, praeceptis, principia illustravimus, ad quorum normas regi atque conformari necesse est, tum eorum actionem, qui haec ad res evulgandas instrumenta moderantur, tum hominum conscientiam, qui iisdem utuntur. Atque ob id ipsum, ut nempe haec Dei Providentis munera anomorum bonum procurent, vos paterne adhortati sumus, non solum ad vigilem agendam curam, sed ad actuosam etiam vestram operam auctoritatemque interponendam. Nam ad cuiusque Nationis id genus Officia, quae hac data quoque occasione vobis commendamus, non solum pertinet munus servandi atque tuendi, sed potissimum moderandi, ordinandi atque iuvandi permulta educationis incepta, quae in variis Nationibus inita sunt, ut per hanc tam arduam tamque immensam artium provinciam longe lateque christiani spiritus propagentur.

Quandoquidem autem hanc Dei causam triumphaturam firmiter confidimus, minime dubitamus quin Nostra haec praescripta ac mandata — quae quidem ad rem diligenter deducenda Pontificio Consilio de re cinematographica, radiophonica et televisifica committimus — nova apostolatus studia excitare valeant in hoc campo, qui tam laetam tamque uberem segetem pollicetur.

---

[56] Cfr. Sermo d. 14 Septembris a. 1956 habitus : *A. A. S.*, vol. XLVIII, 1956, pag. 707.

Hac spe suffulti, quam vestra pastoralis alacritas Nobis sane exploratissima valde confirmat, Apostolicam Benedictionem, caelestium gratiarum conciliatricem, vobis, Venerabiles Fratres, itemque clero populoque unicuique vestrum concreditis, iis nominatim, qui ad vota ac mandata Nostra adimplenda actuosam conferent operam, effusa caritate impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die VIII mensis Septembris, in Festo Nativitatis Beatae Mariae Virginis, anno MDCCCCLVII, Pontificatus Nostri unedvicesimo.

PIUS PP. XII

(*A.A.S.*, vol. 49, pp. 765-805.

CHRONICA

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE:

23 februarii 1957 — Coloniensis — Paderbonensis — Monasteriensis (*Essendiensis*), *Constit. Ap.* « Germanicae Gentis » *distrahit quaedam territoria ex dioecesibus Coloniensi, Paderbonensi et Monasteriensi, novamque dioecesim erigit, Essediensem appellandam. Inita ad hoc fuit pactio inter Sanctam Sedem et Civitatem Nordrhein-Westfalen ad normam Conventus Prussici, remque suasit, incrementa fidei ac religionis considerans, Apostolicus in Germania Nuntius. Episcopi domicilium erit in urbe « Essen », et templum Deo in honorem Beati Ioannis Baptistae ibidem dicatum cathedram episcopalem obtinebit. Episcopus, Coloniensi suffraganeus, vix ut adiuncta sinant, seminarium eriget et canonicorum coetum constituet, facta interea facultate Consultores dioecesanos eligendi. Dantur denique normae peculiaribus in adiunctis servandae.* (*A.A.S.*, - 28 Decembris 1957, vol. 49, pp. 993-995).

10 aprilis 1957 — Santaremensis (*Obidensis*) *Constit. Ap.* « Cum sit animorum » *quaedam municipia a Praelatura « Nullius » Santaremensi distrahit et novam condit Praelaturam « Obidensem » appellandam, metropolitanae ecclesiae Belemensi de Para' suffraganeam. Porro peramplе patet antquae Praelaturae territorium; aptiore ergo ratione res sacra temperanda erat. Praelatus novae Praelaturae, qui in urbe « Obidos » domicilium, et pontificalem cathedram in curiali templo S. Annae dicato habebit, iubetur erigere, ad normam iuris, minus saltem seminarium et meliores sacros tirones Romam suo tempore mittere ut in ephebeo Piano Latino Americano philosophiae ac theologiae studiis vacent. Edicuntur tandem normae de mensa Praelaticia, de clero, de documentis ecclesias respicientibus.* (*A.A.S.*, - 27 Januarii 1958, vol. 50, pp. 24-26).

4 junii 1957 — Emeritensis in Venezuela (*Truxillensis in Venezuela*) « In maximis officii » *ab archidioecesi Emeritensi in Venezuela quasdam regiones separat novamque dioecesim Truxillensem in Venezuela appellandam et Metropolitanae ecclesiae Emeritensi suffraganeam, erigit. Latius enim cum paterent territoria, spiritualia detrimenta forte patiebantur christifideles. Novae dioecesis sedem collocat in urbe « Trujillo » et templum Deo in honorem B. M. V. a Pace ibi dicatum cathedralium aedium honore insignit. Providet insuper episcopali mensae, col-*

legum canonicorum iubet constitui, et seminarium saltem elementarium condi: selecti autem iuvenes Romam, in ephebeum Pianum Latinum suo tempore mittentur in theologicis ac philosophicis disciplinis instituendi. (*A.A.S.*, - 28 Decembris 1957, vol. 49, pp. 996-998).

15 junii 1957 — Corumbensis-Registrensis (*Campi Grandis-Auratopolitanae*) *Constit. Ap.* « Inter gravissimos » *distrahit quaedam municipia a Corumbensi dioecesi et a Praelatura « Nullius » Registrensi, duasque format dioeceses « Campi Grandis » et « Auratopolitanam ». Novas has ecclesiasticas circumscriptiones, postulante Exc.mo Apostolico Nuntio in Brasilia, decernit Summus Pontifex, ecclesiarum statum aptius disponere et ordinare cupiens. Alteram ergo dioecesim, Campi Grandis nuncupandam ex nomine urbis in qua erit domicilium Episcopi, ex aliunde distractis territoriis condit, cuius cathedram episcopalem in aede Sancto Iosepho sacra ad tempus collocat, donec nempe novum templum extruatur, B. M. Virgini « de Abadia » et Sancto Antonio Patavino apdicandum; alteram vero, Auratopolitanam, nempe, Praesul reget qui in urbe « Durados » commorabitur, cathedra episcopali in templo B. M. V. Immaculatae sacro, quoadusque extruatur nova ecclesia SS. Cordi Jesu dicanda, ad tempus posita. Utraque nova dioecesis suffraganea erit metropolitanae Cuiabensi. Praescribuntur ad ultimum quae pertinent ad canonicorum collegium, dioecesanum seminarium, et mensam episcopalem.* (*A.A.S.*, - 24 Februarii 1958, vol. 50, pp. 57-60).

15 junii 1957 — Montisclari-Paracatuensis, *Constit. Ap.* « Laeto auspicio » *nonnulla territoria separat a dioecesi Montisclari et a Praelatura « Nullius » Paracatuensi, novamque efficit dioecesim Januariensem appellandam. Preces ab Appostolico in Brasilia Nuntio libenti animo admittens, et sortibus consulens fidelium qui latius territorium incolunt, Romanus Pontifex dioecesim erigit nomen accepturam ab urbe Januaria ubi Episcopus domicilium constituet, et metropolitanae ecclesiae Adamantinae suffraganeam. Quoad mensam, capitulum et seminarium habentur de more normae.* (*A.A.S.*, - 24 Februarii 1958, vol. 50, pp. 60-62).

24 junii 1958 — Bathurstensis in Gambia. *Constit. Ap.* « Qui regimen universae » *apostolicam Praefecturam Bathurstensem ad dioecesis dignitatem evehit. Quae per Exc.mum Apostolicum in Africa Occidentali et Orientali Delegatum fuerunt admotae preces, libenti animo accepit Summus Pontifex, persuasum habens virtutum fructus uberiores colligi ubi melior sit rerum dispositio. Novae erectae dioecesis, quae ex urbis nomine, Bathurstensis in Gambia cognominabitur quaeque Apostolicae Sedi erit immediate subiecta, epi-*

scopalis cathedra erit in templo ibidem extante, administratio vero demandatur sodalibus a Congregatione Spiritus Sancti. Postea quae Capitulum, seminarium et mensam respiciunt, edicuntur. (*A.A.S.*, - 27 Februarii 1958, vol. 50, pp. 105-107).

24 junii 1957 — Bikoroënsis. *Constit. Ap.* « Cum noverimus » *apostolicam Praefecturam Bikoroënsem ad gradum Apostolici vicariatus evehit. eodem servato nomine, eodemque retento territorio. Haud exigua incrementa considerans quae rei religiosae in his regionibus fuerunt allata, Praefecturam in Vicariatum Summus Pontifex extollit, sodalibus Congregationis a Missione commissam iam de Ecclesia benemeritis in Praefecturae moderamine.* (*A.A.S.*, - 27 Februarii 1958, vol. 50, pp. 107-108).

2 julii 1957 — Berytensis Chaldaeorum. *Constit. Ap.* « Etsi taeterrima » *in territorio Libani, adhuc sub dicione Apostolicae Administrationis de Gazira Superiore Chaldaeorum, nova erigitur dioecesis, Berytensis Chaldaeorum appellanda. Etenim Praesulibus patriarchatus Babylonensis Chaldaeorum in synodo recens congregatis, visum est duas dioeceses in Libano atque Syria condi quo necessitatibus fidelium ritus Chaldaei satius occureretur. Quam sententiam probat Summus Pontifex: novae ecclesiae, quae Patriarchatui Babylonensi Chaldaerum erit suffraganea, cathedram episcopalem statuit in urbe « Beryto » in templo quod proxime extruetur. Habes postea normas de mensa episcopali, de coetu consultorum, de disciplina seminarii.* (*A.A.S.*, -27 Januarii 1958, vol. 50, pp. 27-28).

5 julii 1957 — Quinhonensis-Saigonensis (*Nhatrangensis*) *Constit. Ap.* « Crescit laetissimo » *quaedam territoria distrahit a Vicariatibus Apostolicis Quinhonensi et Saigonensi novusque conditur Apostolicus Vicariatus sedem habiturus in urbe Nhatrang ,Nhatrangensis appellandus et Sodalibus Societatis Parisiensis missionibus ad exterras gentes provehendis committendus Clerus autem indigena alias provincias curabit.* (*A.A.S.*, - 27 Februarii 1958, vol. 50, pp. 109-110).

5 julii 1957 — Rabaulensis (*Kaviengensis*). *Constit. Ap.* « Cum apostolicum Vicariatum » *quaedam territoria distrahit a ab Apostolico Vicariatu Rabaulensi novumque constituit Vicariatum « Kaviengensem » appellandum. Peramplusm enim territorium novam istis in regionibus expostulat ecclesiarum erectionem. Hac ratione conditus Apostolicus Vicariatus sollertiae demandatur Sodalium a Sacratissimo Corde Jesu.* (*A.A.S.*, - 27 Februarii 1958, vol. 50, pp. 111-112).

1 novembris 1957 — *Constit. Ap.* « Primo exacto saeculo » *iubilaris indulgentia iis conceditur qui Massabielensem specum prope Lapurdium,*

a die 11 mensis februarii anni 1958 ad diem integrum 11 eiusdem mensis insequentis anni 1959, pie statisque condicionibus inviserint. Beatissimam Virginem in celeberrimo Sanctuario piae, hoc anno, expetent peregrinationes, undique ductae, plurima celebrantur festa, et Conventus, frequentesque preces ad eam porrigentur. Potissimum vero admonentur christifideles ut ad sacramenta accedant, peccatorum poenitentiam agant, vitae christianae praxim induant, mores emendent; adversa viriliter patiantur. Edicit condiciones quibus plenaria in indulgentiam possunt homines lucrari, et a censuris, si qua detineantur, absolvi. (*A.A.S.*, - 31 Decembris 1957, vol. 49, pp. 1051-1056).

LITTERAE APOSTOLICAE:

19 martii 1957 — *Litt. Ap.* « Debitum in Jesum », *Sanctus Josephus, Deiparae Sponsus, coelestis praecipuus Patronus universae nationis Peruvianae constituitur. Christi Domini nutritium, quem impensa devotione fideles prosequuntur, Peruvianae Reipublicae Ordinarii, Optimatibus civibusque plaudentibus, iam ab anno 1928 Patronum sibi elegerunt. Nuper autem, Archiepiscopo Limano et ceteris Praesulibus expostulantibus, ex Sacrae Rituum Congregationis consulto, Romanus Pontifex confirmat Sanctum Josephum praecipuum Peruvianae nationis Patronum apud Deum, omnibus adiectis honoribus et privilegiis liturgicis competentibus.* (*A.A.S.*, - 28 Decembris 1957, vol. 49, pp. 298-299).

29 Martii 1957 — *Litt. Ap.* « Ex quo in vertice » *Beata Maria Virgo « de Monte Laeto » (Montallegro) eligitur praecipua apud Deum Patrona paroeciarum vulgo « San Lorenzo della Costa » et « Canevale » in diocesi Ciavarensi. Suo celebrato conventu die 6 oct. anno 1736, universa Rapallensis communitas in dioecesi Clavarensi Beatissimam Virginem Mariam Montis Laeti, qua intercedente, innumera acceperat beneficia, totius veteris dicionis Rapallensis populus praecipuam caelestem Patronam, Sacra Rituum Congregatione confirmante, uno animo elegit. Quarto nunc revoluto saeculo a Virginis in amoenissimo illo loco apparitione, preces per curiones oblatas a paroeciis Sanctis Laurentii Martyris in pago « San Lorenzo della Costa » et Sancti Jacobi in pago « Canevale » Summus Pontifex benigne excipit, et concedit ut et istae paroeciae, licet in praecedentem electionem, variis de causis non consenserint, sicut aliae omnes veteri Capitaneatui Rapallensi subiectae, Dominam Nostram a Monte Laeto praecipuam coelestem Patronam venerari possint ac invocare.* (*A.A.S.*, - 28 Decembris 1957, vol. 49, pp. 1000-1001).

29 martii 1957 — *Litt. Ap.* « Eximiis laudibus » *Paroecialis ecclesia Beatae Mariae Virginis in urbe Sanctae Fidei de Guanajuato, intra dioecesis Leonensis fines, Basilicae Minoris titulo ac dignitate afficitur. In Mexicana urbe quae Sanctae Fidei appellatur, templum extat Divinae Deiparae sacrum, non tantum antiquitate, artificiosis operibus ac religione insigne sed devotissimo simulacro Beatae Mariae Virginis « Nuetra Señora de Guanajuato » appellatae, praecipua laude celebratum. Hoc adsolent expetere, frequentes fidelium pompae, hoc singulatim exquirunt christicolae Virginem adprecaturi .Quartum igitur dum expletur saeculum a simulacro in urbem advecto, Leonensis Episcopi precibus annuens, paroecialem ecclesiam Deo in honorem Beatae Mariae Virginis in urbe Sanctae Fidei de Guanajuato, intra fines Leonensis dioecesis, dicatam ad honorem et dignitatem Basilicae Minoris Summus Pontifex evehit.* (*A.A.S.*, - 28 Decembris 1957, vol. 49, pp. 1002-1003).

26 aprilis 1957 — *Litt. Ap.* « Brivatensis civitatis » *inter Basilicas minores recenset ecclesiam paroecialem S. Juliani M. in civitate Brivatensi, vulgo « Brioude » in dioecesi Aniciensi. Quae, etsi parvula aedicula, ob sepulcrum S. Iuliani iam pridem allexit fidelium turmas, in sanctuarium mutata, abbatialis fuit celebrata sedes et nuper in pristinum artis fulgorem est restituta. Precibus Episcopi Aniciensis porrectis, Romanus Pontifex annuendum censuit.* (*A.A.S.*, - 27 Februarii 1958, vol. 50, pp. 112-113).

30 maii 1957 -- *Litt. Ap.* « Vetusta quidem » *ecclesiam paroecialem B. M. V. in urbe Constantia, intra fines archidioecesis Friburgensis,s tituio Basilicae minoris decoratur. Templum B. Mariae Virgini Constantiae dicatum etsi magnas vicissitudines per saecula pertulit, religionis domicilium iugiter extitit. Recoluntur inter aila, sepulcrum S. Corradi, et sacri coetus acti a Patribus decimisexti Concilii oecumenici. Preces ut novis honoribus templum augeretur Friburgensis Praesul porrexerat.* (*A.A.S.*, - 24 Februarii 1958, vol. 50, pp. 63-64).

25 decembris 1957 — *Litt. Ap.* « Egregio ducti » *novus gradus seu Torques aureus in Ordine Piano constituitur. Viri de re christiana aut publica bene meriti a Romanis Pontificibus in equestrium Ordinum amplitudinem adscisci consueverunt, quod et egregie factorum praemium et patrandorum operum est calcar. Ne desit Apostolicae Sedi facultas impertiendi egregium signum propensae suae voluntatis. Ordinem Pianum Summus Pontifex auget novum constituens gradum: eius insignia adamussim describuntur.* (*A.A.S.*, - 27 Januarii 1958, vol. 50, pp. 29-30).

EPISTULAE:

8 decembris 1957 — *Ep.* « Peculiarem quidem » *Ad Rev.mum P. Augustinum M. Gemelli, Universitatis Studiorum Mediolanensis a Sacro Jesu Corde Rectorem Magnificum. Gratulatur Summus Pontifex Virum qui per decem scaerdotalis ministerii lustra sive commentaria edens, sive Catholicae Studiorum Universitatis Rector Magnificus, sive Pontificiae Academiae Praeses sive aliis expletis muneribus praeclare gessit ad Ecclesiae ac civilis cultus incrementum.* (*A.A.S.*, - 24 Februarii 1958, vol. 50, pp. 66-67).

12 decembris 1957 — *Ep.* « Singularia Dei beneficia » *Ad E.mum P. D. Valerium Tit. Sancti Silvestri in Capite S. R. E. Presb. Cardinalem, Praefectum Sacrae Congregationis de sodalibus religiosis quinquagesimum sacerdotii natalem celebrantem. Gratias Deo de acceptis beneficiis referre pii extat animi officium. Recenset ergo Romanus Pontifex labores ab Emmo Viro susceptos, munera ab Apostolica Sede concredita, fructus ex laboribus Deo opitulante collectos. Purpurato Patri Eidemque Praeposito Sacrae Congregationis de Religiosis gratulationis sensus Summus Pontifex promit et omina facit.* (*A.A.S.*, - 27 Januarii 1958, vol. 50, pp. 30-31).

ALLOCUTIONES:

5 novembris 1957 — *Iis qui interfuerunt Conventui primo ex addictis Archiviis ecclesiasticis Italiae, Romae coadunatis. Immani saeviente bello, multa suscepit Romanus Pontifex, -- quod omnes norunt, -- ut archiva a damnis servarentur. Recoluntur insuper Angelus et Cardinalis Ioannes Mercati, nuper vita functi, hac in re peculiari ratione bene meriti. Sermo deinde instauratur de Leone XIII qui Vaticani archivi ianuas omnibus voluit patere, ne cui deesset veritatis exquirendae facultas. De cetero Secreto Archivo, novis iugiter ditato documentis, uti, prae ceteris, possunt Romanus Pontifex et Apostolica Romana Sedes in universae Ecclesiae moderamine. Revocata, tandem Epistola ad Italos Ordinarios a Secretaria Status die 5 aprilis 1923 remissa, admonet Summus Pontifex ut quod in archivis habetur utile cognitu, si de theologia pastorali praesertim agatur vel de animarum cura, id fiat publici iuris.* (*A.A.S.*, - 28 Decembris 1957, vol. 49, pp. 1003, 1010).

8 novembris 1957 — *Iis qui interfuerunt Conventui Internationali, Romae habito, ab « Unione Alta Moda » indicto. Vestes quibus homines induuntur tribus necessitatibus respondent: valetudini, pudori ac ornatui: huic tertiae favent novi qui inducuntur vestium habitus si intra modestiae fines continentur. Nemo est enim*

qui non videat gravem urgere moralem quaestionem cum invere-cundus mos vestiendi evadit peccati ac scandali dolenda occasio. Non reprobat Ecclesia novos vestium habitus, ornamenti gratia per tempora inductos; praemunit tamen christifideles ne, indecora ac inhonesta specie decepti, spiritualia detrimenta patiantur quae vestiendi mos, a christiana modestiae legibus alienus, afferre solet. Promotoribus ac sodalibus « Unionis » dantur a Summo Pontifice paternae eaedemque sapientes adhortationes. (*A.A.S.*, - 28 Decembris 1957, vol. 49, pagg. 1011, 1023).

9 novembris 1957 — *Iis qui interfuerunt conventui CONSILII vulgo FAO (Food and Agriculture Organization) Romae habito. Deleterios cum efficiantur in dies oeconomicae agricolarum condiciones et magis inclinata fortuna, crebro homines, arvorum cura relicta, urbium rumores expetunt uberiorem escam sibi ac familiae comparaturi. Summus Pontifex, hisce de causis anxius, ominatur ut cunctis nationibus qui FAO adhaerent sedulo adnitentibus, res agriculturae in melius vertant.* (*A.A.S.*, - 8 Decembris 1957, vol. 49, pagg. 1023, 1024).

10 novembris 1957 — *Iis qui interfuerunt Conventui internationali « pro scholis privatis in Europa » Romae habito. Conditio qua fruitur schola privata, quae nempe non administratur a Republica, vitam spiritualem ac culturalem populi fere commetiri sinit. Dolendum est profecto integram libertatem, de iure ac de facto, scholae privatae in quibusdam dicionibus audacter denegari ac praepediri: Principiis revocatis quibus adolescentium ac puerorum institutio nititur, loquitur Summus Pontifex de ineundo Europaeo Consilio scholae privatae contutandae.* (*A.A.S.* - 28 Decembris 1957, vol. 49, pagg. 1024, 1027).

24 novembris 1957 — *Adstantibus multis honorabilibus Viris ac praeclaris Medicis et studiosis quorum plerique nosocomiis praesunt vel in magnis Lycaeis docent, qui Romam convenerunt invitatu et arcessitu Instituti Genetici « Gregorio Mendel », Summus Pontifex propositis quaesitis de « reanimatione » respondit. Summa quaestionum hac in re ad tria redigi potest. Si agitur de infirmis qui amplius non sint sui compotes, iis casibus non exceptis qui, de medici sententia, nulla foveri potest sanationis spes, urgetne obligatio utendi hodiernis rationibus anestesiologicis, ut nuncupantur, etiam propinquis nolentibus? Et respondet: in casibus ordinariis potestas est, minime vero obligatio, hac ratione agendi, Licetne medico spirandi instrumentum ab infirmo removere antequam omnino cesset sanguinis per venas diffusio? Et licet si patiens sacramentum extremae Unctionis*

iam recepit? Hoc vero estne validum censendum si ministretur quando cessat vel cessavit sanguis per venas diffundi? Ad prius quaesitum responsio datur affirmativa; quod si infirmo nondum administratum fuerit Extremae Unctionis sacramentum, producatur spirandi facultas donec sacramentum possit ministrari: an vero extrema Unctio valida sit cessante sanguinis per venas effusione, et post, necesse esset cognoscere utrum anima a corpore fuerit vel sit separata, annon. (*A.A.S.*, - 28 Decembris 1957, pagg. 1027, 1033).

27 novembris 1957 — *Ad Exc.mum Virum Theodorum Heuss Reipublicae Germaniae Federalis Praesidem. Gratulatur Romanus Pontifex miram Germaniae restaurationem post immanes clades bellico tempore toleratas et laudat quotquot, diuturna exantlata opera, novas vitae condiciones restituerunt; peculiariter est profecto recensendus amplissimus Vir Theodorus Heuss. Graves tamen manent labores sive Praesidem sive adiutores ut quaestiones Europam ac Germaniam adhuc prementes possint feliciter solvi, ut praesertim removeatur impius materialismus. Tandem edicit relationes inter Apostolicam Sedem et Rempublicam Federalem perseverare bonas; et omina fausta facit.* (*A.A.S.*, - 28 Decembris 1957, vol. 49, pagg. 1033, 1036).

3 decembris 1957 — *Iis qui interfuerunt Conventui tertio Sodalitatis Italicae pro Consilio Municipiorum Europae. Est in votis ut in Europa amplus ac perseverans coetus constituatur federalistarum quorum sit sanam personae dignitatem fovere ita nempe ut in civili societate libera quidem mente communitati homines deservire valeant. Quid Consilium municipiorum Europae, sua ipsa experientia edoctum, in posterum suscipere possit, testantur incoepta faustis auspiciis hactenus inita. Lubet ergo sperare fore ut non leves quaestiones hac in re agitatae gradatim solvantur.* (*A.A.S.*, - 27 Januarii 1958, vol. 50, pp. 31, 33).

9 decembris 1957 — *Iis qui interfuerunt Conventui alteri universali Statuum religiosae perfectionis Romae habito. Vitae christianae perfectio quae in divina unione per caritatem habita, plane consistit, in statibus perfectionis tutiore sane ratione expeti potest, De sodalibus religiosis quaedam edicuntur: eorum est enim Christi Domini tollere crucem, Ecclesiae Sanctae fideliter deservire, Constitutiones et religiosam obedientiam integre adimplere, falsis, si qua serpant, placitis omnino reiectis. Vir obediens Deo se commissum novit, Cuius voluntas apprime cognoscitur per moderatorum visibilem auctoritatem.* (*A.A.S.*, - 27 Januari 1958, vol. 50, pp. 34, 43).

3 januarii 1958 — *Iis qui interfuerunt Conventui Romae habito e Sacris Virginibus addictis puellarum sodalitatibus ab Actione Catholica Italica. Grato iugiter animo Ecclesia Sancta prosequitur operam a sanctimonialibus impensam in commodum eorum omnium qui Christi corporis sunt membra. Hanc nactus occasionem, laicorum apostolatum et Actionis Catholiiae consociationes iterum dilaudat Summus Pontifex virginesque illas inter praesentes, paterne adloquitur quae in instructionis ac educationis institutis sollicitum exantiant laborem. Memorat deinde internas Actionis Catholicae consociationes, primas fere acies in exemplum et calcar constitutas. Denique, quid sit unitas actionis Catholicorum, quid vero unicitas Actionis Catholicae illustrat.* (*A.A.S.* - 4 Januarii 1958, vol. 50, pp. 82, 85).

19 januarii 1958 — *Ancillis mulieribusque domesticae curae in Urbe addictis. Domesticae curae exercitium, stabiliter ac fere permanenter iam pridem acceptum, per temporis spatium, dum meliora expectantur, nostra hac aetate producitur, neque, ut plurimum, consuetudines, quas antea, cum hospite familia fovet. Sed his quoque in adiunctis nihil dignitatis fuit ademptum domesticae curae quippe quae humanae personae est propior, consuetudines autem inter herum et ancillam non tantum iustitiae commutativae normis sed etiam humanitatis sensu fulciuntur, De peculiaribus officiis si domestica cura non ad horas exercetur, sed per tempus producitur cum habitationis communione nonnulla locutus, addit socialem Ecclesiae doctrinam hac in re vim, ut patet, etiam pro iis habere qui in religiosis institutis domes*ticae curae, quacumque ratione addicuntur, (*A.A.S.*, 24 Januarii 1958, vol. I, pp. 85, 90).

20 januarii 1958. *Dirigentibus Federationis Nationalis Italicae Sodalitatum e Familiis cum multa prole. Ubi frequentes adsunt familiae multa ditatae prole, liquidum habetur testimonium phisicae ac moralis christianae plebis sanitatis, fiduciae in divina Providentia positae, catholici connubii sanctitatis. Qui autem, sive singuli cives, sive congregati per ordines coetus, aliter audent sentire, edocere et scribere, longe a christiana veritate aberrant. De cetero variis de causis licet adfirmare non deesse in praesens sufficientia et necessaria media ad generis humani conservationem et sanitatem: Laetitiam in familiis multa proles parere adsolet, ancietates pauca et timores.* (*A.A.S.*, - 24 Februarii 1958, vol. 50, pp. 90, 96).

NUNTIUS RADIOPHONICUS:

24 novembris 1957 — *Christididelibus Mediolanensis Urbis in conclusione sacrae praedicationis extra ordinem per hebdomadas in*

omnibus paroeciis ab Exo.mo Archiepiscopo indictae. Sacra Missionum praedicatione in universa Mediolanensi Urbe feliciter habita, ingenti populi frequentia iugiter audiente, Summus Pontifex elatis verbis gratulatur Pastoris et curionum sollicitudinem, devotumque christianae plebis obsequium; adhortatur ut quae est terrena, civitas Dei efficiatur; ut quod perdurantibus missionibus sedulo susceptum est, naviter posit ad exitum perduci; recolit Sancti Ambrosii verba: « humanis divina praestare non est dubium et corporalibus spiritualia » et Apostolicam Benedictionem impertit. (*A.A.S.*, - 28 Decembris 1957, vol. 49, pp. 1037, 1040).

ACTA SACRARUM CONGREGATIONUM

SUPREMA SACRA CONGREGATIO S. OFFICII·

5 februarii 1958 — *Commonitio. Non desunt qui, editis scriptis, novas vel obsoletas orationes, precationes et alia huiusmodi liturgicis functionibus inserant. Commendantur Ordinarii locorum ne novos ritus vel coeremonias in divina officia induci sinant. Additur monitio clericis.* (*A.A.S.*, - 27 Februarii 1958, vol. 50, p. 114).

18 februarii 1958 — *Monitum. Memorato praescripto can. 770 C. J. C. reprobatur mos differendi, ob confictas rationes, collationem baptismatis.* (*A.A.S.*, - 27 Februarii 1958, vol. 50, p 114).

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS:

3 junii, 5 decembris 1957 — *Provisio Ecclesiarum,* (*A.A.S.*, - 28 Decembris 1957, vol. 49, pp. 1041-1042).

3 junii, 21 januarii 1958 — *Provisio Ecclesiarum.* (*A.A.S.*, - 24 Februarii 1958, vol. 50, pp. 97-98).

10 julii 1957 — Almeriensis, Granatensis et aliarum. — *Decretum de mutatione finium dioecesium ex catholicae religionis firmitate et incremento.* (*A.A.S.*, - 27 Januarii 1958, vol. 50, pp. 45-46).

1 augusti 1957 — Cincinnatensis. — *Decretum de translatione Cathedrae Metropolitanae. Ab ecclesia Sanctae Monicae Cincinnatensis metropolitana cathedra transfertur in templum Sancti Petri ad vincula, nuper refectum et affabre restauratum, hoc eodem honore iam pridem perfruens.* (*A.A.S.*, - 27 Januarii 1958, vol. 50, pp. 45-46).

1 septembris 1957 — Duluthensis. *Translationis Cathedrae episcopalis Decretum. Ecclesia Sacratissimo Cordi Jesu dicata, quae cathedralis Duluthensis dignitatem hucusque obtinuit, minor est in praesens quam quae frequentiae fidelium possit sufficere. Postulante Episcopo Duluthensi, potestatis cathedra transfertur in templum Deo in honorem Sacratissimi Rosarii Beatae Mariae Virginis constitutum.* (*A.A.S.*, - 27 Februarii 1958, vol. 50, p. 115).

SACRA CONGREGATIO CONCILII:

30 junii 1957 — [1] *Declaratio circa ordinationem Instructionis quae in Apostolica Constitutione « Sedes Sapientiae » continetur. Porro, religiosae Congregationes ac Societates vitae communis sine votis publicis a Sacris Congregationibus Consistoriali et de Propaganda Fide dependentes relata Ordinatione tenentur.* (*A.A.S.*, - 24 februarii 1958, vol. 50, p. 103).

8 decembris 1957 — *Instructio de iuvenum utriusque sexus promiscua institutione. Quo gravis huiusmodi quaestionis plenior evaderet tractatio, peculiaris Coetus clarorum virorum ecclesiasticorum est congregatus, singulorumque sententia est rogata. Quorum vota in unum congesta Summus Pontifex, in audientia Cardinali Praefecto Sacrae Congregationis de Religiosis, die 5 martii 1957 concessa, ratam habuit et in forma Instructionis publici iuris fieri mandavit. In tres partes dividitur quarum una primarias rationes vel principia proponit quibus recte iudicari possit de « coeducatione »; altera normas praebet in singulis casibus servandas; tertia vero recenset cautiones quae principia ac normas fere complent.* (*A.A.S.*, - 24 Februarii 1958, vol. 50, pp. 99-103).

15 februarii 1958 — *Excommunicationis Declaratio. Sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae ac speciali modo Apostolicae Sedi reservatae, sacerdotes in Hungarica dicione prohibentur omnino munus Deputati acceptare et detinere.* (*A.A.S.*, - 27 Februarii 1958, vol. 50, p. 116).

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE.

20 junii 1957 — Cuttacken. — Visakhapatnamen. *Decretum de finium mutatione. Novos dioecesium fines, in demandati gregis commodum, uterque Ordinarius ab Apostolica Sede expostulavit; Exceptae sunt preces, et concessa mutatio.* (*A.A.S.*, - 27 Februarii 1958, vol. 50, p. 117).

19 septembris 1957 — De Akyab (*Promensis*) *Decretum. Praefectura Apostolica de Akyab, mutata sede, « Promensis » appellabitur.*

Rogante Ordinario, mutatur sedes quia urbs « Prome » (in Birmania) maioris momenti in praesens censetur et facilius adiri potest. (*A.A.S.*, - 24 Februarii 1958, vol. 50, p. 104) .

SACRA CONGREGATIO RITUUM:

21 junii 1957 — Barcinonensis. *Beatificationis et canonizationis Servae Dei Dorotheae de Chopitea Villota Serra, Matrisfamiliae. Super dubio: an signanda sit commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur. Quamquam in urbe Jacobopoli, die 5 junii 1816 ortum duxit, Dorothea de Copitea in Hispaniam translata, Barcinone iugiter vixit. Sexdecim annos nata Josepho Serra nupsit, sexque ex matrimonio suscepit filias. Inter cooperatrices Salesianas ab ipso S. Ioanne Bosco cooptata, sancto fine quievit die 3 aprilis 1891. Succrescente virtutum fama, ordinaria inquisitio instrui coepit Barcinone anno 1927. Proposito ergo dubio, affirmative fuit respo*nsum. (*A.A.S.*, - 27 januarii 1958, vol. 50, pp. 46-49).

21 junii 1957 — Lugdunen. *Canonizationis Beati Marcellini Josephi Benedicti Champagnat, Instituti Parvulorum Fratrum Mariae Fundatoris. Super dubio: An signanda sit Commissio resumptionis causae in casu et ad effectum de quo agitur. Latius in dies cum effundatur cultus et celebrentur virtutes Beati Marcellini Champagnat, plures amplissimi ecclesiastici Viri expostulaverunt eundem Beatum Sanctorum corona redimi. Porro die 21 maji 1957 signata fuit Commissio resumptionis causae: quod Summus Pontifex ratum habuit.* (*A.A.S.*, - 27 Januarii 1958, vol. 50, pp. 49-50).

24 octobris 1957 — *Datur formula Benedictionis Stationis radiophonicae.* (*A.A.S.*, - 28 Decembris 1957, vol. 49, pp. 1043-1045).

13 decembris 1957 — *Decretum de parte cerae apum aut olei in candelis in usum liturgicum adhibenda. Iam pridem, die 14 decembris anni 1904 praescripserat Sacra Congregatio quantum cerae in cereo oporteat haberi et in candelis pro Missae celebratione. Cum vero in praesens non semper sint praesto candelae in maximam partem ex cera compositae, remittitur ad Conferentias Episcopales vel Episcopis ipsis determinare ad quantam centesimam partem diminui possit apum cera.* (*A.A.S.*, - 27 Januarii 1958, vol. 50, pp. 50-51).

15 decembris 1957 — *Instructio pro sacerdote infirmo vel caecutiente circa Missarum celebrationem eidem ex Indulto Apostolico concessa. Dantur regulae pro Missa votiva de Beata Maria Virgine, et adduntur rubricae circa Missam Defunctorum.* (*A.A.S.*, -27 Januarii 1958, vol. 50, pp. 51-54).

5 februarii 1958 — *Declaratio circa facultatem iterandi benedictionem Cinerum in Missa vespertina. Datur Ordinariis locorum facultas permittendi ut in ecclesiis ubi Missa vespertina cum magno fidelium concursu celebrari solet, feria IV Cinerum possit semel iterari, ante Missam principalem, benedictio Cinerum.* (*A.A.S.*, - 24 Februarii 1958, vol. 50, p. 104).

A. Scola

Direttore Responsabile Mons. FIORENZO ROMITA - Largo di S. Rocco, 1 (Tel. 65.786)
Autorizzazione del Tribunale di Roma N° 1373 del 15 / 2 / 1950